EVPHORMIONIS LVSININI SATYRICON.

Cui præter Partes IV. dudum editas pauloque ante Auctoris obitum recognitas & locupletatas, accesserunt auctaria quædam ac velut loci paralleli, qui instar Notarum uberiorum esse possunt.



VNA CVM

SCARABEO

Qui Libri quinti vicem supplebit.

Clauis insuper perfectior, ignota Nomina in hoc opere passim occurrentia exponens.



FRANCOFVRTI
Prostat in Bibliopolio Ioannis Schmidlini, ANNO
M. DC. XXIV.

Superillustri & Generoso

COMITI AC DOMINO, DN. PHILIPPO REINHARDO COMITI IN SOLMS, Dn. IN MÜNTZENBERG, WILdenfels & Sonnenwaldt,&c. Domino suo Gratiosissimo.

Nouam hanc nouè adornatam Euphormionis Satyrici editionem
D. D. D.

GENEROS. EIVS

Humillimus & A[illegible] lictissimus clien:

I. S.

AVGVSTISSIMO REGI, IACOBO PRIMO, BRITANNIARUM Monarchæ inclyto, Euphormio S. D.



Non peccaui in virtutem tuam, Inuictißime Rex, dum terrarũ scelus libello hoc acerbe vltus sum. In homines enim erupit hic impetus, non in Deos: quos etiam laudare pertimui, ne aut quæsisse curiosus crederer, aut sacrilegus dubitasse. Cæteros suscepi indignanti stimulo perfodiendos. Et prope neminem esse dolui, cui in hanc diem prodeunti non astiterit Genita Mana, illa ad quam suscipiebatur votum, ne quis nasceretur domi probus. Quæ etiam timeo ne adfuerit huius libri cunabulis, & ne ipse nihilo sit melior, quam quos arguit. Adoraui iam ante tamen genium tuum, vt crediderunt aliqui, non indigno plane donario, & erigitur etiamnum animus meus ad hæc studia felicius, quoniam vaticinatur sibi hæ

Maiestatem tuam velut intransitu libaturam.

Facundum faciebat amor.

Cuius vtinam amoris mei pramium mihi illud differat, vt deterso adulationum fuco intelligas, quã non fortunã in te tuam, sed te in fortuna tua venerer: cui cum infinitis nominibus omnia, tũ etiam Musarum gratia debeo. Tu illas tam familiariter in secretum admittis, vt hoc studiorum temperamento iam minus Martem Gradiuum refugiant. Tu I. Grodonium, *hominem qui iuxta literas & virtutem colit, noluisti in alio quam in tuo orbe viuere. Tu eximio hominũ delectu, memoriam ad ea tempora nostram excitas, quibus* Regum *animi non quam late, sed quibus imperarent, solicitabantur. Ego vero, Rex Augustissime, siue ensem in stilos diuidi, siue stilos in gladiũ porrigi iubes, presto sum. Siue qua me fortuna sacrario tuo inducet, siue qua in aliis constituet terris, pergam Hephæstionem cum Cratero confundere, vt* Iacobum, *vt* Regem, *pari auspicio à me cultum saliẽ intelligant, qui me Iacobo, qui Regi omnia debere, omnia vouisse intelligunt. Vale, Rex Potentissime, & ab omni Satyræ morsu non fortuna quam ingenio, non imperio quam virtute securior.*

CLAVIS PERFECTIOR IN EVPHORMIONIS SAtyricon nomina ignota, quæ in eo passim occurrunt, referans & exponens.

A.

ACignij, *vel* Acigniani *Iesuita.*
Ægorus *Comes Egnondanus, seu Hornanus Bruxellis decollatus.*
Alexandria *Barleduc Lotharingiæ, seu Galliæ.*
Albagon *Albanus, seu Duc de Alba.*
Amphiareus, *Regis Angliæ Secretarius.*
Anemon *Monsieur de Bouuille, qui Legatos recipit.*
Aquilius, *Cæsar.*
Archoropus *forte Brandeburgicus.*
Argyrostratus *Amb. Spinola: propter nimios belli sumptus.*

B.

Basilius *Iesuitarum fautor, forte Willeron.*
Basilium, *Aureliæ, siue potius Lutetiæ Parisiorũ quod ibi sedes Regia.*
Basiliani, *Aurelianenses, vel Parisienses.*
Boethia *Germania.*

C.

Callion *Dux Lotharingiæ Guisius.*

Casina *vxor Comitis de Morot, delicia seu concubina Regis, Item* Hollandia *à caseis.*
Catharinus. *Puritanus, Minister quidam secta Puritana in Anglia.*
Charidotus, *Richardotus, Prases Consilij apud Albertũ Austriacum, seu Consilij Regij Senatus in Belgio: cuius precibus & suadela Bataui potissimum permoti, inducias pepigere.*
Cles fandritus *Britannia Rex.*
Cleostrata. *la Marquise de Vernande, amica, seu concubina Regis Gall.*
Cursor *la Vareno, seu Varennes, equorum cursoriorum magister, totius Gallia pracipuus, Regis Gileno.*

D.

Delphium, *seu* Delphinum. *Mussipontium Academia Gall. siue illustris Schola Iesuitarum, Academia Ponti Mussana.*
Despotikyrius, *seruus heri sui dominus, Dux de Lerme, Hispania thesaurarius.*
Doromisus, *osor munerum, forte Dux Rhoni, Dux de Rosinas, Gallia thesaurius.*

E.

Eleutheria *Francia, Gallia.*
Euphormio *Ioan Barclaius, author Satyric.*
Eutychia *monacha.*

F.

Fibullius *Callionis, seu Guisii amicus.*
Figulus, *Potier.*
Fortunæ templum, *L'arsenal, armamentarium Regium.*

For-

G.

Gephyrius, *Pontifex.*
Geragathus, *Dominus Villeroi.*

H.

Hebræus, *Iudæus, Merſel, vel Wentzel, ſiue Seuck, quem alij Philippum Lang dictum volunt.*
Hippophilus, & Hippoplutus, *Philippus II. potentiſſimus Rex Hiſpan. idem* Liphippus.

I.

Ianicularius. *Petrus Ianinus, præſes in Senatu, & à conſiliis Gallo.*
Icoleon, *Belgium confœderatum, à leonina fortitudine.*
Ilium *in* prima *parte Oſtenda, in* ſecunda *Lutet. (Pariſ.*
Iuno *Regina Galliæ.*

L.

Labertus, *Albertus Archidux Auſtriæ.*
Leucos *Confeſſionarius, ſeu Ioannes de Ney, vel Cotton confeſſ. Regis.*
Liſippus, *Lipſius. Idem* Neopalæus.
Lõginus, *Nicol. Brulartus, Galliæ Cancellarius, ita dictus, quod res ſuas lente expediat, Lentulus, Bellicurius.*
Luſinia, *Lotharingia, alias Scotia, & patria authoris, hinc* Luſinini *Scoti.*

M.

Marcia *Venetiæ, à S. Marco Euangel. patrono ita dicta.*

Melandria *Hispania*, & Melandri *Hispani*.

N.

Neapolitanus. *Monsieur de Neufville, Villeroy Secretar.*

Nearius, *Mauritius Comes Nassouius, Princeps Aurangia.*

Neopalæus, *Lipsius.*

Nysæus *Bacchus.*

O.

Olympio, *Comes de Morot.*

P.

Pedæi *Infanta Isabella Alberti Archiducis vxor.*

Percas *Monsieur d'Aquien, al' de Mers, Gubernator Metensis.*

Philosoph: *Monachi.*

Poimonarchus *Cardinalis, vel Episcopus.*

S.

Scolimorrhodia, *Britannia, Anglia & Scotia Magna Britannia.*

Sibronius *Brisonius, præses Parlamenti.*

T.

Tessaronactus, *Iacobus VI. Magna Britannia Rex.*

Thebani, *Germani, Teutones.*

Themistius *Iurisconsultus quidam, vel Pet. Gregorius, vel Guilielmus Barclaius, Authoris pater, Professor Regius Academia Ponti Mussana, qui scriptis grauissimis de Regno & Regis institutione, de potestate Pontificis aduersus Bellarminum, admodum inclaruit, & supe-*

riore

riore tempore Ducis Lotharingiæ Consiliarius fuit.

Theophrastus, *Perionius Cardinalis Ebroicensis, cuius solicitudine in Gallia plures Scoti celebri nomine bonas artes professi sunt, quam in ipsa Scotia aluntur & fouentur à* Rege.

Torrentius *Pricat, alias Brulard, Cancellarius alter à cognomine sic dictus.*

Trifartitus, *Dux Georgius Leuchtenbergius, Landgrauius.*

V.

Vanarra, *Nauarra.*



EVPHORMIONIS LVSINI NI SATYRICON.



I nomen à me quæris, Euphormio ſum; ſi patriam, Luſinia eſt: vbi nullæ vnquã nubes cœlum aſperant, nulla bruma ſegetes extinguit, nulli æſtus adurũt: ſed puro incorruptoque aeris tractu, liquidi ac pellucidi fontes cãpos alluunt, patenteſque hinc inde plagæ, & amœna ſeu ſalubritate mõtium, ſeu planitierum æquabilitate regio, homines alit genio loci & fortuna ſua dignos. Non illic in honore ſupellex curioſa, non gemmæ, non imperium, non opes non ea omnia quibus impotens hominum libido pretium fecit. Vt quiſque ad virtutis ſtudium maxime incenſus eſt, ita promptiſ-

ſime veris ſuffragiis ad magiſtratum eue-
ctus, æmulos vitæ omnes, neminem di-
gnitatis accendit. Illinc ego deuolutus
in hunc terrarum orbem, O dolor! quæ
non vidi, quæ non paſſus ſum? indigna,
Dij boni, & quæ cœlo teſte fiant, & quæ
poſterorum memoriæ relinquantur; ni-
ſi vt amentia, & in ſcelere nepotes pro-
gredi nolint, ſaltem paternis vitiis con-
tenti. Date veniam, O deprauati orbis
incolæ, ſi iuſtis querelis detonat animus
incitatus atrocibus iniuriis. Quid aſpi-
citis, Heri, quid hoc minarum eſt? iam
non ego veſter ſum: iam liberalis ani-
mus ad originis ingenuæ decora pro-
uocauit: & ingentes literæ, quas fron-
ti meæ applicuiſtis, i iuriæ me admo-
nent, non obſequij. Etiam iudiciorum
nomen inuocat crudelitas veſtra? etiam
tribunalium in me maieſtatem implo-
rat? Tandem aliquid inueni, quod à vo-
bis imperatum eſſe gauderem. Quid in-
digeſto per aceruos auro, quid auaris fer-
tilium annorum curis confiditis? exuam
patriæ meæ candidos mores, & in oculis

iudicum sacramento, & nuncupatis votis impietati nomen dabo Non hoc saltem ducent nefas, vt quibus terris virtus est in vinculis, ibi quoque scelus seruiat? Iam nunc vindiciis secundum libertatem datis vtor? iam quod tergum crudeli supplicio lacerastis, vindicabit atrocior stylus, & effinget vestros mores velut in tabula, ad cuius deinde cōspectum ipse horreat. Deniq; si sapere decreuistis vobis scribo: si furere perseueratis, saltem volo Lusinini mei sciant deuitare impuras terras: vt quicunque aditus regiones vestras aperit, seu questuū meorum veluti prærupto obice lasset transeuntes, seu lachrymarum torrentibus inundetur. Ego Curtius crudelitatis vestrę hiatus impleuerim; Ego Sphyngem, ego Pœnum, ego Hydram expertus sim, tam felici exitio, vt territi gentiles in hæc amplius portenta non incurrant. Magis offendit graueolentia insuetos in salubribus cænosisq; paludibus, nec tam acriter mordent ea mala, quibus in lucem prodeuntes stipamur, tanquam na-

turali ſatellitio, quam quæ florentem intactamque vitam affligunt: Et ego vim doloris acrius percipio, & deploro dolentius, quem nō ante calamitas perculit, quam adoleſcerent gentilia bona, quæ mecum pene nata non antequam patriam exui: à qua quis diſceſſus meus fuerit, quæ me inde rationes deturbarint, nihil dico: ferat hanc veniam inexperta iuuentus atque præceps; nec id lachrymarum exordium conſumat iræ meæ impetum, quæque in aliorum mores iam diu tela libro, in meam amentiam retorqueat. Nam vt has primum terras attigi, & frequenti oppido exceptus ſum, in forum me contuli; ratus nunquam defuturos, qui in celeberrimo humanę gentis loco, vbi etiam multi hæreditario iure ſapere iubebantur, erranti per ignotam vrbem aperirēt hoſpitalitios lares: cum ſubito ingens circa me hominum turba confluxit, modo nouitati cultus illudens, interdum etiam, quoniam erat ex tenuiſſima carbaſo veſtis, populari muſſitatione ſtu-

pescens. Aderat eleganti iuuenis vultu, cuius mirabile in comis artificium Æthiopico pene gyro cincinnos consuerat. Hic ansatam superbe dexteram superba veste retegit,& me; quis essem, & qua caussa venissem, districte interrogat. Tum ego,peregrinum ,inquam, esse satis prodit, quod in tanta solitarius frequentia expecto benignitatem hospitij, quod & nauseantem ex mari ventriculum opportuna tranquillitate leniet, & illuuiem itinere contractam diluat. Viæ causa; mos humani ingenij. ea scire concupiui, quæ à meis finibus abesse natura voluisset.

[*Habet enim multum iucunditatis soli cælique mutatio ipsaque illa peregrinatio intersita. Quin & ad ea noscenda iter ingredi solemus, & maria transmittere, ea, quæ sub oculis sunt, negligentes, vt proximorum incuriosi, longinqua sectemur, seu quod omnium rerum cupido languescit, cum facilis occasio est, seu quod differimus, tanquam sæpe visuri, quod datur videre, quoties cernere velis.*]

Quibus ille auditis humanissime in pa-

ternam domum inuitat; ſimulq; dextera ad opulentiſſimas ædes trahit, vbi ſtrata triclinia, cibique capaces inuidiæ expectabant conuiuarum, aut negotia, vt ferebant, diſſipatorum manus. Igitur ſecurus hoſpitij meo duci gratias ago, ignarus impendentis ſæuitiæ, & ad nouas ſpes credulus; quæ ideo magis placebant, quoniam externa neſcio quo fuco ſe adornant, & plerumque notis patriæ rebus beatiora videntur. Tum in vrbem etiam leuato nonnihil corpore proruo, cœnæque moras, dato puero qui perluſtrandæ vrbi dux eſſet, ingenti lætitia fallo. Ille me in publicas primum porticus, in fana deinde ac theatrum perducit; poſtremo in ampliſſimam domum, vbi nihil magis timui, quam ne poſtes antiquitate corrupti ceruices affligerēt. Capaciſſimam ſedem adoleſcentes aliquot per ſedilia ſparſi, magis ſtrepitu, quam corporibus implebant: & ſi quando intermittebatur tumultus, audiebāt declamantem ex eminenti loco ſenem, qui Romana iura interpretari dicebatur.

Age-

Agebat autem de libertis ex lege Iunia Norbana Latinis, ac præterea de Dedititiis, quorum iniquissimam conditionem ne quidem seuerior antiquitas tulit. Verum hæc, inquiebat, omnia sic in desuetudinem abierunt, vt relictis tantum nominibus iam qui illi fuerint, iam quibus legibus vixerint, disceptemus. Sed ignari non estis, Adolescentes, mutata hominum mente plerumque velut tacitis abrogata suffragiis, quæ maiores nostri tanquam mansuris legibus commendabant. Hinc editus abrogatarum legum liber; præclarus hercule, si non eas leges omitteret, quas in eo primas esse oportuit. Nō vero volumen erroris tam manifesti reum; & nisi haberet triste mortalitas priuilegium, vt liceat aliquādo peccare, librum mea sententia ad oleum piperque dimitterem. Etenim plurimas Iuris partes muta iam omnium voluntate deletas ita præteriit, ac si illæ hodie in antiquo suo regno consisterent. Si nisi exemplo non credideris ecce legem olim sanctissime habitam: *Honeste viuere,*

alterum non lædere, ius suum cuique tribuere; quam nunc prorſus moribus hominum ſublatam indignor inter antiquatas in eo codice non referri.

Erat adhuc in loquentis ore dictio, cum effluentis menſura ſabuli, ac elati præterea æris ſonus, ſtrepentibus ſubinde auditoribus, tantum hominem de ſuggeſto non depulit. Ego vero perluſtrata iterum vrbe, cum me, vtpote inuſitatis indutum veſtibus, puerorum agmina ſtiparent, in hoſpitium meum redeo, & quæcunq; tota luce perſpexeram obfirmandæ curioſus memoriæ diligenti cogitatione digero. Sed poſteaquam conuiuas deſtinatum ad epulas tempus collegit, paſſimq; diſcubuimus, clam ſugillantibus vniuerſis meos geſtus, & peregrini oris lineamenta, cõfuſus, egenſq; conſilij, non agnoſcebam amplius auiditatem ſtomachi tributum repetentis, quod irato mari exolueram. Statimque crudelior fortuna deſæuiit, poſt quam non gratuitam nobis mẽſam liberalitate poni, ſed mihi pro hoſpitio diuerſorium

con-

contigisse nõ sine magno horrore audiui. Nam ad patrium moré necauro corpus in viam præceps tardaueram, nec in cibos pretium quæsiueram, quos gentis nostræ benignitas vendere nescit. Igitur inexpectatis moribus delusus, cœpi tum primum execrari harum regionum vilissimũ genium, & sic tacitus mecũ loqui. Pisces à fontib. ad mare non inueniunt, qui viuendi vectigal extorqueat. Natura vbiq; pabulum feris posuit; & quamuis hirundines vtrumque solem metiuntur, esca nunquam errantibus deest. Ergo sol. homines non impune implebunt ex haustas ieiunio vires? ergo in beluas põtus erit clementior, quam ciuilis ratio in mortales in eandem genitos sortem? nisi forte pretiosior aqua est in miliario quam in fonte, aut animantibus reliquis aliquid supra hominem natura debebat. O sordidũ genus, barbarumq; facinus! o feriores homines, quam humanam olim Androdus feram inuenit. Nec contentus hac obiurgatione, palam excusare imprudentiam meam cæpi, quod numis

de-

deſtitutus cauponã intraſſem, & totum in gentilitios mores transferre peccatũ. Nam in veſtris, inquam, moribus non minus quam in regione, hoſpes, id primum rogo, vt innocentibus erroribus venia detur. Quod hic religioſũ eſt, alibi profanum eſſe nihil prohibet. Nempe quælibet regio nõ magis ſuo aere aut terminis, quam ſuis morib. definitur: neque aliquid peccaui, niſi exiſtimatis omnes homines ſub eodem cœlo naſci debere. Quanquam facio his excuſationibus iniuriam humanitati veſtræ: à vobis nihil durum timeo. Seueritatem, vt audio, his annis depulit de ſumma ſede Clementia.

Videbam durare nemini riſu erumpente conſtantiam, vt etiam miſerrimam adhuc loquentis vocem cachinni petulantia confunderent: cum inſtaret præcipue ſupra ſuam artem improbus caupo, detractamque mihi veſtem auferre pugnaret, vt (ne ſine ioco facinus iret) expeditus onere ſuperuacuo, inquit, liberius reuoles in amœniſſimas

terras, quarum nobis etiam pene desiderium tua prædicatio admouit. Cohorrui ad hæc dicta; & Gallico gelu frigidior metus etiam intimum calorem tentauit:


Sic vbi terra parens, Clymenæo torrida partu.
In Phaethontæam mittebat vota ruinam:
Aspiciens iuuenis nebulas ignescere, olympumque
Errãtem sensisse diem; seu saxea moles
Hæsit, & ignipedi permansit fræna iugali:
Non magis heu viuus, quam cum pia turba cadentem
Condidit Eridano, tumulumque cacumine texit.

Trahebat interim vestem epularum suarum precium, & fœdam auaritiam risu crudelissimo cumulabat. Et hoc est, cogitabam, quod promiserat liberalis

vultus

vultus filij tui,& indigna fœdiſſimis moribus veſtis? hoccine quod mihi adulabar etiam infimam conditionem in his terris aſpirare ad virtutis nobilitatem? Iamiam callidum illuſtrium veſtium intelligo munus: vt humilem animorum fæcem illuſtri fuco velent, & quod maximum debuerat eſſe familiarum diſcrimen, confundant atque permiſceant. Ita profundiſſimum cœnum veſtit fragilis indigna fronte ceſpes; ita fimum niues induunt. nec ipſis anguibus pulchrum veneni tegmen, verſicolore tergo, & ſquamis fulgentibus deeſt. Miſertum eſt querelarum mearum aliquod propitium numen, aut vt verius dicam, me peius afflixit, & iniecit mentem Callioni ſplendidiſſimo homini (is negotiorum cauſa illo die in vrbem venerat) vt me ſibi exiguo ære addiceret. Qui poſtquam interrogauit, an eius augere familiam vellem, quid facerem, niſi vt me omni libertatis diſpendio eriperem ab inſtanti peſte, & graſſatore vrbano: Diſceſſerat in patriam nauis, quæ me ve-

xerat



xerat: lõga eratredituro, & inextricabilis via, per ambages, ac deserta, & extremum mundi limitem. Quę omnia vt diligenti solicitudine vincam, qui me illuc sumptus deducerẽt, si vix vnius horæ diuersitorem vestis absolueret? Igitur conditionem nihil cunctatus accepi, & qui modo comes assederam, consurgo de mensa ad obsequium, turgentesq; oculos furtiua mann exfrico. Puduit Solem diutius hæc videre, & seruitutem meam libera solutaq; nocte occuluit: quæ cũ radiis lunarib. illustris nõ omnino viæ discrimina confunderet, statim cursoriis equis cõtendimus in Callionis munitissimam arcem: cum mihi, exultantibus cęteris, non tam viderer in equum, quam Salaminiam damnatus ascendere.

[Nam primum imperio famulos constringere, qualis
Exitii laqueus, dominos qui semper acerbos
Oderunt, contraque pios calcare pro terue

Au-

Audent, nec prauis placidi, nec iussa bonorum
Explentes.
Sed si Dii immortales id voluerũt, nos hanc ærunnam exequi,
Decet id pati æquo animo, & tunc leuior labos erit.
Indigna digne habenda sunt herus quæ facit.
In re mala, animo si bono vtare, adiuuat.
Quin seruitutem ita fers, vti ferre decet.]

Muris superbe eminentibus crebertimæ turres, pinnæque ad splendorem compositæ adornauerant domum: fossæque non latitudine magis notabiles, quam stagnantibus aquis, prodigiosæ molis piscem alebant. Ædificium partim nobile antiquitatis vestigiis, partim recenti artificio elegans. Nihil Callion aut ad famam videbatur aut ad luxum omisisse.

Sed quod reliquum noctis fuit, cum non per somnum transigerem, & nunc intimis singultibus, nunc excitato per dolorem acerbo inanique visu, mihi desertæ patriæ imprudentiæ imputarem, conseruis amentiæ speciem feci. Crudeles ac fœdæ animæ, quas vltra Persicum scelus euntes iam non virilibus neruis fraudare naturam, sed animos exsecare delectat, rem ad dominum detulerunt: cumq; proh facinus, placuissent auditi, figmentis etiam onerant calamitatem meam, & imponunt gemitibus lachrymisq;, ac risu meditatas voces affingunt. Hic Callion flagitioso digito superiorem explicans barbam, bene est inquit, erit illi felix & vegeta seruitus & si vestis non mentietur valetudinem, ne quæratur vitium mentis: iuuentute peracta læto etiam & viridi senio stabit. Vos tantũ in insaniam impellite præcipitantem, & in Quirinalium Mystam attollite. Accipiunt imperium lubentib. animis, & in me confestim toto telis ac machinis angustum profundunt omnem malitiam,

quam ex ſentina aulica impuris animis hauſerant. Tribus mediaſtinis datur negotium, qui me tum primũ in ſomnum labentem, poſtquam decoctum tota nocte dolorem prima lux ſopiuerat, ſuppoſito petulanter fumo excitant: neque tardus vrgentibus parebam, cum animaduerto laqueis impeditos pedes ægrius procedere, nec aliud feſtinatione profici, quam vt laxiora vincula arctius in nodum iungerentur. Tum fœdiſſimus mortalium Pedo, maligno riſu dexteram, tanquam ſalutaret porrigit. mihi vero iam non erat integrum, aut ſapere, aut decipi nolle: manum itaque trado, & rogo, inquam, mi contubernalis, quid iniicitis vincula iam etiam parum libero ſine compedibus atque nodis? Dum hoc blandius pronuncio, interim dexteram meam religauerat ad thorum, omniq; conuicio male ſanas ingenij reliquias cum ſociis expugnare certabat. Itaque modo ſinum gelida profundunt, modo acuminibus latera perfodiunt, nunc etiam titillationibus importunos

risus excitant; vt iam mihi malorum minimum seruitus esset. His officiis longissimum diem, mihique instar æternitatis stantem, exigunt, & ad affectionem hilares, ipso risu, ipsaq; lætitia me improbe oppugnant: sic vt ad plectra atq; fides quondam Atticæ munimenta conciderunt.

Me autem cum sub noctem ieiuni cerebro spiritus deficerent, nec tam in amentiam deflecterem quam in mortem, copiosus cibus ditibus allatus sportulis, & qui me ad vescendum horraretur relictus est Percas. Erat vir mitiori ingenio, naturamq; suam parũ in scelera detorquens, nisi si plurimum expediebat. Ille me vt consalutauit, thoroque meo reclinis remisit vincula, & oppessulatas fores diligentius muniit, cœpit vberius flere: nec dum tamen synceritatis fecerat fidem, nouoque cogitabam ludibrio suspectas sæuire blanditias; cum prehensam manum tenerius concutiens, nosti me, inquit, Euphormio? Ego sum qui heri domino Callioni persuasi,

ſuaſi, vt te in familiam admitteret. Itane? inquam; tu quidem habes triſtiſſimi beneficij reum. Sed quid in dominum omni ponto ac tempeſtate feriorem admiſi? aut quid deliqui tam atroci ſupplicio dignum? O ſi liberum ſaltem moriendi permittat arbitrium, aut quod annis pluribus ferre poſſum in atrocitatem diecula inhumana miſeratione componat. Illachrymatus eſt Percas, & digitos articulis innectens, demiſit ad vmbilicum inuerſas cum lacertis manus, cumq; aliquantum defleſſet meam miſeriam, ac multis gemitibus interpolaret orationem; tandem veluti collecto ſpiritu animoſius inſurgens, Euphormio inquit, & tu ſeruus es, & ego. Quo tu iam loco es, poſſum deinde præceps agi, ſi herus annuerit: in ſeruitute precario ſumus felices. Si mihi credis, propulſabimus communibus conſiliis fortunæ iniuriam. Memento Pyladis & Oreſtis fidem Tomos etiam euaſiſſe & Dianæ crudelitatem, & Thebis cohortẽ amantium multis inexpugnabilem annis lau-

rum sępius quā apium decerpsisse. Nec mirere, quod arcanas cogitationes effundo confidentius in sinum tuum: non videris mihi ignotus, tanto fortitudinis & constantiæ experimento. Te mihi primum conciliauit frons liberalis & verecundi oris modestia, deinde seruitus coniunxit; ad extremum ipsa miseria acrius commendauit. Secundum hęc iusiurandum adiecit, & omnia quibus fidem orationi quæreret. Ego vero etiam ad sperandum tardior, quam si Aristodemus aliquis victoriam nunciaturus indigno vultu procederet, tamen alleuari paulatim sinebā animum meum sic vt aliquantulum reuiuisceret salutis iamdiu sepulta cogitatio.

Nutat vt ingenti puppis circumdata ponto
Quā tumidus nigro murmure ventus agit,
Humida cum pictos lacerarunt æquora diuos,
Nec semel intrepidos insiluere viros;

Quas-

Quassaque cæruleum passim intromittere montem
Occœpit piceo tegmine nudaratis:
Si secura feri stant promontoria ponti,
Aut procul è speculis commoda surgit humus,
Iam prope non meminit perituræ nauta carinæ,
Quodque videt credit iam tenuisse solum.

Tum ego amplexib. hominem artius alligo, & non contubernalem meum, sed numen, sed genium ac tutelarem deum appello. Et tune, aiebam, solus es in hoc terrarum orbe, cuius spiritus nōdum virorum contagione spurcatus sit? tune solitarius homo inter tot millia hominum specie ficta? Silere me iussit Percas & potius quod è re videretur in medium consulere. Mihi autem nullum erat remedium potius fuga, in quam iam animum intendebam, ratus socio tam detestabilis seruitij pertæso nihil hactenus præter authorem ad eiusmodi

consilium defuisse. At ille tristius supercilium contraxit, &, nescis, inquit, quibus te cruciatibus inuoluis. Iam huc illuc discurrent assectarum turbæ; iam in aditu ac limine vrbium stabit imago nostra, & custodia inexorabilis, quam vt mendaciis possimus fallere, vultu certe & fronte deprehendemur. Noli ad credulam spei perplexæ auram antennas soluere: Cum Stratonico dixerim, ex omnibus nauigiis tutissima esse, quæ in terrã nauta subduxit. Nescis apud quem seruias. Callion est, non istius modo vicinij quod incolit potentissimus, sed etiam gratiosissimus apud Principem, à quo numariam olim nobilitatem accepit. Neq; hæc fugiendi audacia per tantũ gentis ocium expediri, aut facile inulta esse potest. Is enim hodie Princeps est, qui REQVIEM non tantum orbis sui medio, sed & Metis indulsit. Inhorrui è noua spe deiectus. & quæ, dicebam, igitur securitati via propior, quam vt laqueo iugulũ frangam, si seruienti mors lentior destinatur, fugitiuo crudelior?

Vetuit Percas desperare, & cum dolori medicinam faceret mitium verborum fomentis, cœpi diligentius percunctari de regione ac moribus hominum, & præcipue de Callione nostro. Tum ille; primum, inquit, te scire oportet, nihil iam sanctum esse, quòd non corrumpat diuturnitas temporis, multaque probe à maioribus instituta vno senectutis vitio deflexisse in turpissimos ritus. Ferunt olim nobilitatem à plebe non aliter quam virtutis nota discriminatam. Hinc magnates constituti, hinc honores & cultus in ipsos delati ab iis, qui ad tam sanctum splendorem obstupescebant. Hoc priscis temporibus vnicum remedium erat emergendi è latebris vulgi, cum omnes initio pares esse natura iussisset. Si quis ingenio & prudentia pacauerat incitatæ multitudinis violentiam, si quis exteris gentibus suasisset aut societatem, si integrę, aut seruitutem si nonnihil attritis rebus affligebantur, illi statim meritę nobilitatis insignia publici consensus deferebant. Illum disci-

plina militaris, illum machinarum peritia, virtus omnes prouehebat. Inde etiam filiis nobilium honos habitus, primum à paternis clientibus, deinde ab omnibus qui inesse in iis semina paternæ claritudinis arbitrabantur. Sed iam Homericis temporibus nõ erat nouum, filios degenerare à paternis institutis. Cum abundarunt opes in illustribus familiis, & luxuriantes copias auita industria peperisset, obstupuerunt paulatim virtutis stimuli, & aliquid remiserunt nepotes de paterna contentione ad gloriam: donec vertentibus aliquot seculis, vix aliud ad commendationẽ habuerunt, quam inanem prope fugitiuam auctorum suorum memoriam.

[*Quis enim, vt cum Saluiano lib. 3. de gubern. Dei, loquar, est vel nobilium omnino, vel diuitum, horrens crimina? quamuis in hoc fefellerim, multi enim horrent, sed paucissimi euitant, in aliis quippe horrent, quod in se semper admittunt, mirum in modum & accusatores eorundem criminum & excusatores. Execrantia publice, quod occulte agunt,*

ac per

ac per hoc dum damnare se cateros putant, ipsos se magis propria animaduersione damnant.

Et iis maxime accommodari potest carmen illud elegantißimum D. Gregorii Nazianzeni, in nobilem male moratum, carmin. 52.

Nobilis, at grauibus vitiis adopertus, honesto,
Non tamen illustri commemorabat auos.
Risit ad hac alter, sciteque hoc rettulit: Vt mi
Dedecori genus est, sic quoque tu generi.
Hoc memori condas animo, repetasque subinde:
Vt virtute tibi nil prius esse queat.
Quod si te salibus quisquam probrisque lacessat,
Quod tibi cum facie sit quoque fœdus odor:
An dices, Forma genitor præstabat, odorque,
Quem dabat è toto corpore, gratus erat?
An multas dices, timidus si forte voceris,
Imbellisque, atauus vicit Olympiadas?
Sic quoque; si quis te nequam stolidumque vocarit;
Nè mihi, quos rapuit mors fera, profer auos.
Pulchra rudes modulos dedit vni barbitus: vni
Vilis at egregios edidit ista sonos.
Dic mihi quis fidicen melior censendus eorum?
An non qui docta barbiton arte ferit?

Ergo animos tollis, quod sis licet improbus ipse,
Diceris auratis patribus ipse satus?
An tibi nobilitas sunt prisca cadauera ficti
Sermones, & quos garrula fundit anus?
Ludis? ego at tantum specto (par omnibus ortus
Argilla est etenim) sis bonus anne malus.
Omnibus est eadem pellis: nos patria, opesque,
Nos tamen & tumidos reddit inane decus.
Vana quid ergo refers, patriam, genus? haud mihi ficta,
Haud mihi busta placent, temet ego inspicio.
Omnibus est idem puluis, fictorque: tyrannis,
Non natura, homines scidit in ista duo.
Qui malus, hic seruus quisquis bonus, hic mihi liber
Quid facit ad clarū mens nimis alta genus?
Quod probrum est mulis asino fluxisse parente?
Quod mulos asinis est genuisse decus?
Quam parit, at fetus nido Iouis eiicit ales.
Ergo te misso quid mihi promis auos?
Esse probus malim, quamuis ignobilis ortu:
Quam claros, vitiis plenus, habere patres.
Ex spinis etenim rosa nascitur: ignibus at tu
Dignus es è molli spina creatus humo.
Cur caput instar equi molitor sustollis aselle,
Obq; atauos, cum sis improbus ipse, tumes?]

Sed

Sed neque te ſecretiori veritatis parte fraudabo. Raræ ſunt hac ætate primæ illius & ſynceræ nobilitatis reliquiæ. Dominorum ac bellorum vices, & adeo ipſa fors quæ familias extulerat, eas plerumque aut depreſſit, aut extinxit; Naſcuntur in dies cognomina, & ſtatim primo ætatis die tranſcribuntur in ſenium:

-- qualeſq; premũt nunc ſydera ſylua
A prima venere die.

Quotuſquiſque eſt, quem aui ſui non pudeat? cui non eſt prope ſutrina vel pedum? pace tua dixero, ſæpe de ſterquilinio ſurgunt, & vix dum lotis manibus rerum publicarum negotia tractant. Rara ſunt & valde incerta veſtigia, quæ ducant ad venerabiles antiquitatis ſtirpes. Pleroſque intruſit, vel in familias caſus, vel error in cognomina: & ſi bene rationem ponis, virtutis iam opus agunt nummi. Vt quiſque ad decies centena peruenit, facilime de plebis tabula nomen ſuum eruit, & vel emptis faſcibus colitur, vel indigno coniugio ſuperbit,

& illustrem sanguinem fœda rusticitate maculat. Iam hic noster Callion, si scires quibus initiis extruxit tantæ potentiæ fastigium. Pudet me miserarum dignitatum, quæ tam fœda mercede veneunt. Parentem habuit æterna maiorum vilitate, pene etiam extra viciniam suam notum; qui prima ætatis elementa in anserum custodia posuit, deinde sebaceis componendis sustentauit ieiunæ vitæ supplicium; credo, ne periret vestis olidæ pinguis squalor. Postea vertentibus fortunam sortibus, ipsa armenta, pastoresq; cum gregibus mercante, & iam ægre sua prædia numerante stupebant amici, pene in vindictam erumpente vicinia. Nec enim aberat expilatæ hæreditatis suspicio, cum plurimum in domo felicis ac nummati senis egisset. Vxorem olim duxerat:

---Sed & hæc de plebe suoque
AEqua viro fuerat.

ac filium sustulerat, qui Callionem præcededebat totis quatuor lustris. Quem

vt mediocriter eruditum ſchola dimiſit, ſtatim venerabili pallio circumductum ſedere inter Pontifices iuſſit, & in Antiſtitem ingenti pecunia euexit. O numen cœliteſque, quam eſt difficile male partis bene vti! Licere Antiſtes credidit quod emerat vendere, & veluti licitatione facta aureis gradibus deſcendit de faſtigio ſanctiſſimæ dignitatis. Ac inter illos dies pulmonum dolore, & cruenta tuſſi conſumptus eſt. Bene actum videbatur cum Callione. Immenſa vis erat pecuniæ, precioſiſſima ſuppellex, ædes quæ bonam fortunam cum comitatu caperent, denique infamis mercimonij ſplendidus & elegans quæſtus. Quid quæris? felix Callioni ac lætum funus contigiſſe non erat qui non prædicaret; quod etiam in patre geminatum vix tantæ felicitatis capacem omnibus bonis prope obruit.

Efferuntur, pater & filius, pompa ſupra conditionem, pudendoſque natales, &, quod palam deriſere coæquales defuncto ſeni, mendacibus titulis, ſcutatiſ-

que insignibus, non caruit ludicræ terminis scenæ. Ipse Callion sensim in aulam intrusus est, multoque auro lubricum regiæ iter strauit. Elegans illi ingenium, manus prompta, animus vt publice communis ac facilis; ita secretis abditisque prudentiæ artibus munitissimus: vt ab aliis nec timeatur vt cautus, & subornatas ad fallendum adulationes ipse naturali bono vitet. Quid hic aulicas artes, quid ingenij calliditatẽ explicem, qua etiã paulo ante domini sui fauorem extorsit? Etenim cum sermones maledici Principis gratiam auertissent, tanto astu fortunæ fugam celauit, vt nec ipse videretur sensisse. Nam assiduus in regia, quamuis occultis ludibriis quotidie sæuiebat infensus Princeps, tamen ferendi constantia iræ pertinaciam vicit.

Non tuli diutius tam magnifice de Callione declamantem: &, non, inquam, meministi, hominẽ illum, quem vis à Gratiis fictum, intolerabili sæuitia facere, vt paterna in eo vitia desideremus? Tum ille: ne erres Euphormio;

non

non ingenij aut naturæ, ſed conditionis &temporum vitio peccat. Modeſtus ſua ſponte animus, inclinatione ſeculi rapitur in ſolutiora conſilia. Quoniam non eſt tutum, ęquabilium morum integrita tem afferre inter proceres; quæ vel reliquorum vitam notet, vel vt inſolens, & multis iam ex peſa ſeculis notetur. Quocunque inter illos, velato etiam capite, produceris; ſyncera vaticinatione dices, non quod olim Citharœdus cauponam eſſe, ſed laruam, prodigium, ſcelus, perfidiam, nefas. Maiorum virtus nihil vltra timuit, quam ne cœlum rueret: præſentis autem æui impietas, niſi prorſus deſipuit, nihil amplius horret, quam hiatum dedignantis terræ ſui oneris improbitatem. Omnium ætatum crimina, omnium immanitas ſcelerum in hęc tempora confluxit. Nunquam effuſior libido, ambitus amentior, nunquam denique ſe latius effudit maledicendi licentia. Non impudens maiuma, non arena crudelis, niſi hæc tenebris, illa nomine diſſimulata ceſſauit.

Dum hoc proloqueretur, interim perditi lixæ applicuerant ſe ad laxiorem oſtioli rimam, & quoniam erat eiuſmodi murmur noſtrum, quod etiam attentiſſimas aures falleret, continebant diligentiſſime ſpiritum, qui in nequiſſimo Pedone diutius collectus, tandem cum aſpera ſonoraq; tuſſi ſeipſum vehementius excuſſit. Perturbatus igitur Percas, qui rem altius erat exorſus quam vt paucis totam contexeret, compendioſa me doctrina præcipitanti ruinæ ſubtraxit. Magna, inquit, eſt ſapientia interdum decedere, vel per ſpeciem, de recto ſapientiæ curſu: tibi vero etiam neceſſitatem fortuna imponit. Finge ad tempus amentiam; prudentior cum voles receſſeris de cōcepto per ſimulationem morbo. Illud enim Callion his tormentis, & omni ſcelerum ſubtilitate molitur, vt per inſomniū & cōtumelias in inſaniam tranſeas; illinc aſſiduos ſibi iocos, & domeſticum ludibrium ſperans. Tu euerſæ mentis vitium callide ſimula, & vt conſentias in artem miſerrimam, indignanti

animo promitte ſalutem. Multis profuit, commento verſatili omnem ſpeciem induiſſe. Nō Paridi nocuit Idæum paſcuum, & Deos Ægyptus humilibus formis abſcondit,

Nec magnum ambigui fregerunt Cænea ſexus.

Tum ne communicati conſilij aliis ſuſpicionem faceret, dimouet ocyus clauſtra, admiſſamque familiam gaudere iubet: excidiſſe de mente Euphormionem, & per mille inanium rerum ſpecies quæſitam ſibi ridendi voluptatem. Mox illi circumſiſtere thorum frequentes, & quærere fidem dictorum Percantis, cum ſupercilium ſuſtuli, & veluti longa cogitatione defixus, agitare dixi quem ex iis ærario, quem ſupellectili pręficerem; proclamātibus illis, vocem altius ſuſtuli, & in craſtinum abire iuſſi: noctē deliberanti pro conſilio fore. Adiuuit rem Percas, & cum ſe thalamo meo præfectum iucunda aſſeueratione dice-

ret,

ret, omnes velut per officium extra cubiculum deducit.

Mihi vero casus meos tota nocte reputãti, iam minor quam antea solicitudo & anxietas animum perfodiebat. Est enim, vbi ingenti malo fessi atque victi non disputamus amplius cum miseriis nostris, tristis illa quidẽ & solitaria voluptas: sed quę non minus animos permulceat, quã arridẽtis fortunæ irrequietus & exultans impetus. Deinde in lachrymas effusus maiorem doloris partẽ consumpsi & solicitaui animũ vt cum fortunæ violentia prudentia magis quam questibus & lamentis certaret. Igitur tanquã ex Spartano Cothone miserias haurirẽ, illas erectior animus mitiori specie tegebat, & quodam modo fastidiosum colorem celabat. sic tamen vt, abiecta spe, hoc me vnum solaretur, quod ad meas miserias nihil iam Dij possent addere.

Excedit penitus corda latentia,
Et semper vigili spes stimulo furit,
Spem de sollicitis tollite mentibus,

O quos

O quos implacidis iuuat
In fatis animi quies.
Si non arboreis obuia fœtibus,
Si non ora forent obuia fontibus.
Qui cursu refugo decipiunt sitim.
Pars de Tantaleis malis,
O pars quanta recederet?
Spes implet tumidum naufragiis mare:
Spes captis onerat retia piscibus.
Hac Bellona ferox vsa satellite
Mortalem quoties solo
Fudit prodiga sanguinem:
Stat cursus rapidi lentior ætheris,
Cum longos animum spes trahit in dies.
Non est ponderibus victa necessitas:
Quod speras onus excuti,
Hoc hoc sæuius opprimit,

Nec expectata luce erupi è strato, & ad Callionem admissus peto, vt dissoluat nomen quo mihi in mille sestertium tenebatur: cum videret Pedo, insilui in oculos, & non perfunctorie cædere cœ-

pi,tutamque vindictam, omnibus pene ſpiritum riſu excludentibus, exercens, Funeſtum inquam, mancipium, etiam vltro me laceſſis, qui meo benefi io viuis? Si pergis maledicere, exigam à te animam, quam nuper in prælio cum Arachoſiiis mea virtute ſum largitus, Igitur Callionem ambiens,&caute diſpenſans amētiam meam, intra breuiſſimam tempus in potentiſſimum familiæ euaſi; vtique poſtquam illi ſupplice & aſſiduo cultu perſuaſi, ſolum eſſe quem exciſa ratione adorarem, veluti iubente natura. Interdum etiam metuebam, ne importunius emergens veritas deprehenſam calliditatem in ſupplicium mitteret. Itaque commentis omnibus aſtruebam fallaciam; & nunc inanimes tabulas affabar, nunc caninis aſſidens Præſtitibus,admouebam ſolicitas aures, & videbar loquentes audire. Neque verba tantum & incertos greſſus componebam ad mendacium, ſed commodabat etiam vultus aliquod amētiæ ſpecimen: quippe cum omnes motus, qui vel à tæ-

dio

dio erant vel à metu, in argumentum violati traherentur iudicij.

Tardius tamen parebant oculi, nec moliri poteram constantiam sereni placidique luminis. Est enim in vagis & cursim errantibus oculis irrequietæ indicium mentis; nec vlla pars est in homine, quæ magis cum arcanis affectibus consentiat. Amplam & quodammodo vegetam aciem non nisi magni & viuidi spiritus alunt. Blandior ac veluti illecebrosa, faciles, nec omnium hostes voluptatum, notat. Sic angustus oculus, & in imum carcerem defugiens animum nunquam assurgentem sublimibus consiliis, & cogitationum magnitudine, prodit. At vero cum aliqua perturbatio attonitos capitis spiritus confudit, vt iam omnium membrorum nexus & vincula ægre sustineant, tum nerui præcipue, qui ex altissimo capite transuersim in oculos descendunt, viciniore malo laborant, & crebrius micantibus oculis occultum animi morbum liuido ac truci aspectu pingunt. Quis crederet? etiam

inter-

interdum, prudentibus verbis alebam amentiæ famam: quoniam nihil est tam fatuum, quod vbique desipiat. Piscem natura vocalem esse noluit, & tamen in Ladone non est mutus.

Sed pigebat tamdiu rationem in vinculis habere, & artis tam contumeliosæ nausea quotidie magis afficiebat indignantem stomachum. Iamque instar vulpeculæ Laconis vitalia aperientis festinabat prodi tranquillior animi status, & reiiciebat dementiæ vestem, cum ea se occasio dedit, vt crederes ipsos deos ad remedium inuitare. Notaueram in domini sacrario reponi medicamentum multo Agarico imbutum: præterea Betonicæ, credo, & Eufragii succo abundans, & temperata herba, qua Chrysippus ter mentem repurgauit. Recentioris Casiæ & synceri Balsami suauitas leniebat Terebinthinum saporem, & seuerioribus plantis obstabat ad ignem durata Indicæ cannæ medulla. Huic tam multiplici remedio accedebat vnionum liquor; dilutumque singulari artificio

maragdum puto non tam ad valetudi-
em fecisse, quam ad pompam.

Hoc medicamenti genus, quod Cal-
ion à fratre acceptum propria vanitate
uxerat, religiose seruabatur, tanquam
ndubitatum deficienti naturæ auxiliũ,
tiam vetustate potentiores vires tra-
ens, & ipsius temporis, à quo cætera
estruuntur, alumnum. Nec aliud vltra
Callionem delectabat, quam de pre-
iosissimo poculo vel audire, vel loqui;
llud Menecrates si haberet, supra lo-
em iturum; illud inuidi cœli flammam
euocare vltra quam vitales Æsculapii
anus: hoc sanguinem sistere, hoc re-
ituere pulmonibus libertatem, afflare
coris ignem, venasque ipsas, & nobi-
s cordis motus, salubri temperamen-
mulcere. Dii boni quam est ingenio-
& solers necessitas;

Nec enim ab arte vlla vincitur necessitas.
Et vt aurea illa monosticha inculcant.
Ad multa nos cogit necessitas mala.
Aliquando geminat virtutem Necessitas.
Cur quod necesse est, non voluntas occupat?

Et

Et sæpe naturam superat necessitas.
Etiam boum pro lignis fimus vritur.
Etiam lupum nix alta circa vrbeis trahit.
Etiam in rationem vertitur Necessitas.
Etiam Orci effugium repperit necessitas.
Etiam sibi necessitas infert manus.
Feras libenter quod iubet necessitas.
Honesta lex est temporis necessitas.
Honestum agit quoque ad inhonesta Necessitas.
In rebus arctis plurimum est audacia.
Ipsa necessitate nil pugnacius.
Legem dat ipsa haud accipit necessitas.
Magni duo Dii sunt Suada ac Necessitas.
Nauigia iactu exonerat ipsa necessitas.
Necessitas quam proxima est potentia.
Necessitas quem cogit vt fiat malus.
Necessitas quod cogit infirmissimum est.
Necessitas, ratione in arctis plus valet.
Necessitas seruat, quem ratio haud explicat.
Necessitas virtutis desperatio est.
Necessitatis lex malum grauissimum est.
Necessitatis vnus est Faber Deus.
Necessitati etiam obsequuntur cœlites.

Ne-

Neceßitati inique quis succenseat.
Neceßitatem nec Dei coegerint.
Neceßitate haud quidpiam est potentius.
Neceßitate nil graui est valentius.
Neceßitudo vel timidos fortes facit.
Nihil pudendum ibi est vbi est neceßitas,
Nil non docet naturæ vim Neceßitas.
Præsentis est lex temporis neceßitas.
Quamuis docet naturæ artem neceßitas.
Quantum est suis neceßitatibus obsequi!
Quasvis profanat res sacras neceßitas.
Quidquid iubet, tuetur & Neceßitas.
Quod imperat neceßitas & impetrat.
Quod imperat, tuetur & Neceßitas.
Sequamur vltro quo trahit neceßitas.
Sua ipsemet Deus sibi est neceßitas.
Subiecta non est legibus neceßitas.
Sunt valida multa, neceßitas validißima est.
Telum vltimum est, sed maximum neceßitas.
Tuetur omne id, quod iubet neceßitas.]

Sic mihi Callionis quæsiui gratiam ab effuso tam charo pręstantique remedio: vtique cum asseruatam negligentius arcam furtim iniissem, viuidum liquorem sparsim in terram deturbo, multoque

puluere obducens intercipio ſuauitatem odoris, & excludo ab aduenientium ſenſu. Deinde tanquam direptum auide medicamentum exhauſiſſem, languidus in terram procumbo: ſi cogitata fraus non procederet, certus profecto laturam impune amentiam tam audax & grande facinus. Quærebatur interim Euphormio, & deſtituta aſſuetis ſalibus domini menſa videbatur marceſcere, cum ille meus Percas, cuius etiam conſcientiam in hoc conſilio exhorrueram, animaduertit procumbentem, & extinctum ratus omni celeritate familiam aduocat. At Callion vacuam in mea manu pateram conſpicatus, non potuit in tanto diſpendio riſum tenere; &, O miſeram, inquit, ſimplicitatem! exiſtimauit deliciarum, non ſalubritatis poculum commendari.

[*Habet enim ſimplicitas innocētiæ ſuæ gratiam: habet fidei ſuæ fructū, ſcientiæ præmium habere non poteſt, palmā habere non poteſt virtutum. Aliud eſt otio & ſecuritati ſuæ viuere: aliud eſt pro omnib. ferre vigilias & labores.*

Sim-

Simplicitas ciuem bonum facit, nō facit militē fortem: hinc est, quod ille censum soluit, hic stipendia percipit, & honores. Ciuis aut cedit aut succumbit aduersis, aduersa miles sustinet & propellit: ille pugnare non didicit, hic non timere: ille cauet semper, hic vincit. Chrysol. Sermone 166. pr.]

Videbar interim obluctari meo malo, & vis totis cōcepta meatib. maiore nisu sanitatē moliri quā vt natura ferret, cum olei iam ante ex composito sumpti leuis moles stomachū exonerauit, & marcescentē vultum nonnihil restituit. Iamq; omnes conclamauerant, tanquā ad exeuntis spiritus fugam, cū ego veluti reuocatis sensibus mihi melius esse dixi. Mirabiles tamen capiti tumultus obseruari, & petendā quiete medicinam. Admiratus Callion nouam in me loquendi prudentiam, inferri grabbato iussit, & silentiū etiā superstitiosum circa me esse. Ibi reliquū diem, & quæ sequuta est, noctē placidius; ortoq; demum sole cum omnes officiose cōuenirent, veluti ex altissimo somno animum & oculos eruens, in-

quirere cœpi quid mihi inſolens contigiſſet: namque tota nocte deluſam falſis imaginibus mentem, quibus videbar, inuſitata veſte per ædes licentiſſime vagari, & omnium ſalibus appetitus, nunc dicteriis, nũc verberibus referire. (Nam quicquid temporis amentiæ ſimulatione conſumpſeram, ita videbar omittere, tanquam illa primum nocte Callionis domum intraſſem.) Tum inieci oculos in Callionis vultum, & veluti feſſum caput alleuato cubito fulſi, nec ille cunctatus; ô miras in medicamine vires! inquit: non modo corporis morbis imperat, ſed & ſauciæ mentis vulnus etiam ſine cicatrice obducit. Nihil vanitati tribuo; ſed tam præſtanti potione Melampus Argiuum diadema non emit. Neque enim dubito miſeri huius mentem eſſe epoti medicaminis virtute reſtitutam.

Peruaſerat omnes ingens ſtupor, & tanquam Eleuſinij ſacri participes mutis obtutibus in me contuebantur. Præcipue Percas vix credebat oculis ſuis, a-

ſtumque tam inexpectatum (nam quid egiſſem facile coniectabat) callido ipſe animo reputans, adorabat ſolertiam meam, & quod ſolum poterat, interdum vibrantibus oculis egregio commento ſubſcribebat. Igitur cum proceſſiſſent aliquot dies, & magis Æſculapio magiſque viderer obnoxius, neque vlla ſupereſſent prioris amentiæ veſtigia, mihi Callion literas ad Fibullium amicum ex calculo ægrum tradit, in hæc verba conſcriptas. Quodam antium ſpiritus alieno ore trahantur, non alienis potius exemplis didici, quam ipſe exemplum eſſe poſſum. Quamdiu valebas incolumis in te vixi afflicta tua valetudine eo etiam plus dolui, quod tui corporis ægritudo mentem meam ſauciabat. Nunc oro obteſtorque, vel propter me reſtituas animi elegantiſſimi domicilium; corpori, inquam, aliquantulum vaca. Præſto eſt ſanitas, ſi admittis, tantum mihi curationis onus impone. Si non fidis, neſcio quibus carminibus deſiiſti eſſe Fibullius. Si experimentum deſide-

ras, hominem ad te mitto, cuius euersam mentem vnius poculi haustu composui. Iam quoties febrium ęstus leuaui? quoties dissipaui coeuntem sanguinem, aut cibum sicut erat ingestus fugientem stiti? Adeo vis nulla est mali, quam non facile amoliatur medicamenti salubritas, cuius apud te laudes à me sæpe iactatas memini: nihil sane mihi preciosius frater decedens reliquit. Percas, quem ex omnibus meis potissimum diligis, tanti miraculi testis fuit. Illi imperaui vt rem illustrius tibi exponat & eorum examina computet, quibus mea misericordia saluti fuit. Fidem meam ex illius constantia, & ex omnibus veracis animi indiciis metiare. Ad extremum rogo te, ne tam penitus salutem medicis credas, vt nisi eorum opera sanus esse non velis. Caue homines feros, caue Scythas magistra Medea dignos. Nisi quod peiores isti non vnum Peliam exhauriunt: nec tam Iasonis gratia quam aureæ pecudis furunt. Euitabis tot veneficorum sortes, si quod tibi medicamentum paro, intrepi-

dus

dus hauſeris. Scio repugnaturos iſtos Machaones, & intempeſtiuis ſcrupulis oneraturos animum iam ſatis morbo debilem. Sed memineris plus iis ex cruciatibus tuis venire, quam ex fide ſua; & eos abominari conatum meum, quod doceo aliam poſſe reperiri ſanitatem, quam quæ apud eos venalis eſt. Vale. Deinde tot nos mandatis onerat, vt iam non dubitarem maius ipſi beneficium fore, ſi quis ſua opera ad ſanitatem vteretur, quam ei quem ægritudine leuaret.

Sed hoc mihi videbatur inhumanum, ſub veſperam dimittit incertos hoſpitij, niſi quod longe eſſe diuerſoria ſciebamus. Pernoctandum erat in campis, & quod ego duriſſimũ putabam, erat iter etiam luce commeantib. graue. Etenim pendebamus in arcto limite, hinc premente ſylua, virgultis paſſim ac fruticibus impedita, illinc præcipiti riparum voragine, quæ ſi erraſſet veſtigium, nihil mitius promittebat, quam vorticoſum amnem, etiam tũ ſuperbius decurrentem, quod largior imber nubibus ex-

diſſet, quas amnibus in pabulum æſtiuum Natura immittit. Nec oppidum in propinquo erat, neq; fumus domiciliorum index villæ alicuius humanitatem pollicebatur.

Sed, ne viderentur in nos caſus & domini crudelitas conſpiraſſe, prout declinabat in veſperam dies, aperiebant ſe viarum anguſtiæ, & aſpera locorum difficultas velut leuigato itinere miteſcebat, cum tandem producto in noctem labore Solis radij errantes deſtituunt. Cæterum nihil obſtabat ſyderum luci niſi ſplendidioris Lunæ fulgor, quę nullis impedita nubibus pulcherrime ardebat, & noctis initium ceſſantibus ſubinde rerum omnium motibus neſcio qua nouitate non ingratum videbatur. Sed poſtquam conticinium omnes ita tumultus compoſuit vt quodammodo ventus etiam quieturis frõdibus parceret, tum paulatim inſinuare ſe animo horror, & ipſi poplites naturali formidine labaſcere. Exaudiebatur apertius decurrentium vndarum fremitus, quo-

niam

niam rebus aliis nox quietem indixerat, & liber alueus non mitius quam si vbique obices morarentur, sese spumanti impetu effundebat, cum improuiso amnis, tanquam & ipse nocti cederet, obmutuit, facesque aliquot ex stratis fluctibus emerserunt; & voces, tanquam viarum indices, nos ad se non obscuro clamore vocabant. Tot miracula, an vero metus prudentiam meam interceperit, haud facile iudicarim: certe iam à via deflectebam, iterq; ad ignem illum destinaueram, cum Percas lacertum meum tenuit, & à mortis limine reuocauit ad vitam, quo te, inquit, agis, Euphormio? quid te miserabili letho inuoluis fluctibus, tanquam in terra mori non possis? Irascebar primo hærenti mihi fortissime, & amentiam meam suo pondere continenti. Sed tandem cum hæ faces non vno loco fulgerent, & nunc secundo, nunc aduerso amne decurrerent, hic extinctæ alibi nascerentur, modo infrequenti igne & maligno lucerent, cœpi ipse damnare impetum meum, & Per-

cantem interrogare, quis illius flammæ author, quæ alimenta igni in tanto vndarum cursu, quis ille denique qui nos ad se tanquam errantes benignius euocasset. Tum ille, spectra, inquit, & infelices spiritus, quib. nihil est hominum ruina potius, non in hoc modo gurgite, sed in omnibus prope fluminibus nocturna hæc incendia excitāt. Incauti viatores dum his vtuntur ducibus, se plerumque vel nodosis vorticibus implicant, vel si meliori genio ducuntur, cœnosis paludib. impediti longissimam noctem inter preces & vota consumunt.

Adhuc loquebatur Percas, cum ingentis viri species exeruit ex fluctibus primum caput comis vndique ac barba contectum, latissimum deinde pectus, lacertosque toris, vt ad Lunam iudicari poterat, viriliter nodatos, cumque paulo infra vmbilicum aperuisset corpus, statim clunibus ad nostrum latus versis, eas vtraque manu diu ac fortiter increpuit, risuiq; barbaro inconditum clamorem admiscens, sese iterum in flumen

immisit. Innitebar ego Percanti deficientibus viribus, cum me ille forti animo esse iussit, Tritones illos aut Proteos nihil vltra metum sæuire, nihil illis virium extra latitudinem amnis esse. Sed quid si nuper, inquit, in huius regionis quadam ciuitate fuisses, vbi memorabile spectrum modo ludicra, modo formidabili forma domum nobilitauit? quam fortis miles strinxisses gladium; & sub infami tecto pernoctare quæsisses? Quanquam mihi Tritonis illius timor pene non reliquerat sanguinem, tamen Percantem rogabam, vt exequeretur ordinem formidabilis casus: ita decipi posse longiores noctis moras, &animum meum audito grauiori periculo facile leuiores formidines excussurum.

Erat, inquit, ingens militum copia, in quæ Gallicam vrbem præsidij causa intrauerat. Angustior dominorum quam militum numerus detrarxerat ciuib. capaciorum ædium partem. Nec id efficere potuit, quin milites aliquot incom-

modiſſime habitarent. Sæpe ingentium animorũ comes eſt inopia, ſiue aliquid fortuna ſingulis datum voluit, vt aliquos diuitiis, alios pręſtantiori munere & excelſo animo cumularet: ſiue quod fucis parandus erat paſtus, quem ignaui conſumerent. Apes vero in ipſis parentum operibus natæ, gaudent parto per laborem melle veſci. Sic etiam tum erat quidam maioribus animis; quam opibus miles, cui ſors viliſſimam delegauerat domum, quæ & ſordibus, & odore paupertatis indice, generoſum hominem totos dies in foro tenebat. Is cum perambularet vrbem, & paſſim domorum, tectorumq; minas curioſis oculis perluſtraret, incidit in elegantem domum, binis turribus, & variis ſtatuarum molibus exornatam. Sed omnia velut in peſtilentia conticebant, fores pluribus aſtrictæ vinculis, feneſtræ aliquot negligenter apertæ, & omnia deſertarum ædium ſigna. Cum indignaretur miles vacare pulcherrimam domum, & eos qui pro ſalute ciuium vitę curam proiicerent, in

pessimas sedes conіici, admonuit sodalis, infestam spectris domum, cum assiduis tumultibus familiam lassauisset, tādem dominum coegisse, vt alio commigraret. Nullum aditu prohiberi, si cui audacia, nisi verius temeritatem dixerim, inquit, in infami sede pernoctare suggesserit. sed neminem in illum diem repertum, qui periculo nihil vtilitatis afferenti vitam tradere voluisset. Hæc postrema oratio militem stimulauit. Exarsit animo cupiditas, vt princeps scrutaretur hoc malum. Quoniam ante omnes aut ausum aliquid aut inuentum, veluti primitiæ quædam gloriæ animos efferunt, nihil præter laudem eximium in vita ducentes. Itaque ad Magistratum primo, ad dominum deinde ædium cōtendit, pollicetur, si quid fuci in his timoribus, si quid vicinia, quid seruitium fallaciæ committat, se impigre scrutaturum. Lychnis modo & lignorum copia instrueretur domus. Sic hæc humana fraude contingerent, ferro se improbos vlturum: si maiore vi excitaretur Tra-

gœdia, non inuito pro laude & publicis commodis moriturum.

Nemo erat quem non caperet tam generoſus impetus, cum famulus præterea militis promitteret ad omnia manus, firmaretque non fore aliquod diſcrimen domino, quod ipſe non adiret. Conueniebat ad militem vicinia, tanquam ſi Hercules ſteriſſet ad Tænarum, pugnaturus in mortis imperium, & inferorum pacem. Sed ille cum omnes arceri iuſſiſſet, enſem curioſe detergit; ſi quid eo die rubiginis humenti vagina contraxerat, ſedulo artificio delet, ac ſub veſperam animis mediocri cœna refectis in deſertas ædes intrat, erat vnicus comes famulus, quem etiam communicatæ gloriæ inuidus arcuiſſet, niſi notæ fidelitatis homo iuraſſet, aut ea ſibi nocte moriendum, aut cum domino eſſe viuendum. Igitur appetente iam nocte, cum neſcio quis tremor inuitos occuparet, ignem in ampliſſimo triclinio excitant, paſſim lychnos ſuſpendunt, ac obfirmatis longa cogitatione animis, à

ſe tandem impetrant, vt minimum in illa luce præſidij eſſe putent, magnos homines à ſeipſis auxilium petere oportere, ſe ipſos obfirmare, nihil ſua virtute præſtantius ducere, vnde aut diſciplinę ſanctitatem, aut pugnandi magnanimitatem hauriant. In ſolutiores deinde ſermones lapſi, iocis etiam, & forte non vero riſu, primam vigiliam conſumpſerunt; cum in ſuperiore triclinij parte viſus eſt lacertus hominis ſeipſum immodice quatiens, ſic vt in pauimentum decideret. Dubitantibus illis ex alia ſeſe parte crus humanum exſeruit, ac deinde omnes paſſim corporis partes, ita ſanguine fluentes, ac ſi recenti cæde cadauer ſupplicium immane laceraſſet. mox in media ſede viſum eſt truncum caput velut ſeſe ex tabulato expediens, quod etiam ex alto deinceps ruptas humeris ceruices aptauit: inde artus inter ſe coire, colligari membra, viſa omnia conuenire ac ingentis ſtaturę homo velut ex Cadmi ſemine procreari; qui ferociter enſem quatiens; tu vero, inquit,

quiſ-

quiſquis in meam temerarius domum itrumpis,eia mecum de imperio ædium certa, niſi forte inul us cadere malis. Nec militi conſilium in tantis monſtris, necaudacia defuit. vltro ad prouocantem aduolat.Non impetus vt pręcipitaret temere corpus,non timor vt fœde ageret,euincebat. Tanquam in media luce dimicaret in hoſtem, modo promouebat gradum, modo cum artificio ſuccedebat in latus. Tandem videbatur reſpexiſſe fortuna. enſem pene ad capulum intra corpus inimici condidit.Expectabat vt rueret truculentę molis homo. Sed nec cruor ex vulnere ſequebatur, neq; titubabant veſtigia, neque vultus quicquam ex purpura remittebat. Hæc militem incautius admirantem ferro inimicus excepit, neque tamen ſegnius depugnabat miles, aut aliquod ferri frigus in viſceribus ſentiebat. Cum deinde inimicum vterque pluries confodiſſet, horis plus minus duabus exactis, velut ſigno dato in capulum recumbunt,ſudorem exfricant, & arcte mean-

tem ſpir tum tanquam per inducias extendunt.

Excitabat lychnos militis ſeruus, pugnæque paratus, ſi dominus cecidiſſet, ſuccedere in locum, & mortem vlciſci diſtinabat; cum Athletæ collecto ſatis ſpiritu ſæuiori odio incurrunt. Miles nunc ſuccidere poplitem hoſtis, nunc viſus ferrum tranſegiſſe per latera, & ipſe modo lacertum ſibi eripi credebat, modo ceruicem decidere, modo transfixo corpore ſanguinem emicare: cum nulla interim vulnerum veſtigia libarent integerrimum corpus. Sed maior animo labor deficientem paulatim militem iam ad vltima deduxerat. caſſi ictus, tarda veſtigia, motus languidi, anhelitus crebrior; & incenſi pene vultus, quicquid erat in corpore humoris exhauſerant: cum ab hoſte auerſus, ac veluti datis manibus, ſe in lectulum, quem dominus ædium ſterni curauerat, pene vltimis viribus præcipitauit, & famulo pugnę cupidine flagranti, quod dominum ex vulneribus extinctum crederet, lo-

cum amoris exercendi concessit. Ibi breuior pugna minori vtriusque discrimine finita est. Etenim collectus ex frustulis homo seruum tam immaniter in vultum percussit, vt ille confuso spiritu in pauimentum procumberet; ac deinde ad lectulum venit, vrget decumbentem vt surgat ad pugnam: vtcunque offenso corpore, vtrumq; parem esse; nec duobus victoriam posse concedi. Cum miles debilib. verbis à se iuberet discedere; non posse post tanti temporis certamen aut siccam aut ensem tollere; te vero patior, inquit alter, ea conditione quiescere, si vanissimam superstitionem eiuras, & quod Numen fictæ anicularum fabulæ tibi à cunis colẽdum insinuarunt, sanioribus consiliis detestaris. Cum se miles ante vltima passurum supra vires vociferaretur, cum ad ensem excitatus respiceret, inanis spectri imago in aerem soluta discessit. Lapsus deinde in somnum miles, cum non ante altissimam lucem euigilasset, stertentem famulum eodem quo deciderat lo-

co excitat; quem perturbata diu mente iacentem ante ſopor oppreſſerat, quam aut de ſe, aut de domino cogitaret. Sed ecce poſtremum nocturnæ Tragœdiæ actum ? non agnoſcebat dominus ſeruum, ea vultus parte qua ictum acceperat, ſupra omnes Æthiopes atrum. Donec errore cognito fores laxant, expectanti populo ſui copiam faciunt. omnium fidem decolor ſerui vultus faciebat. Exitus lætior, quod & exemptæ his incōmodis ædes, neq; miles modica mercede donatus, cum tota regione diffuſus præterea rumor ampliſſimum homini præmium daret, quod illius laudes ac fortitudinem omnia loquerentur.

Hæc ego, non vt animum tuum vana ſuperſtitione implerem, qua pleriique decepti quid nouum aut inſolens ſiue audiunt, ſiue vident, ſe Manibus infeſtatos puerili formidine credunt. Pleraque arcanis Naturæ referenda ſunt, vt putreſcentis ligni, vt vermium fulgor, vt pinguioris aeris monſtra, quæ diuerſas animantium imagines exprimunt,

plera-

pleraque casui assignanda; multa ægrotanti cerebro, & hæc sibi prodigia effingenti.] etiam quædam impiorum hominum fraudi imputanda sunt. Et nisi me fallit exacti mensura itineris, prope sumus ab oppido, vbi laruarum imagines aiunt ab impuro furcifero excitari: persuadeti deinde rudibus oppidanis ac mulierculis, maiorum spiritus ad petendam opem in hunc orbem esse regressos. Ipse, vtpote pietatis fictæ homo, pecuniam leuandis Manibus petit, prouinciā suscipit: aut in sacra, aut in opes, aut in vias per vota susceptas, ita nummos erogat, vt dolis interim furtisq; ditescat. Et iam præteriit lustrū, ex quo Plutonis numis viuit. Inter hæc verba intrabamus oppidū, adhuc obscurissima nocte, & in hospitiū quieturi tendebamus, cum in aperto campo, quo mortuorum cadauera efferūtur, visum est ingēs mōstrū, & omni Tritone deformius, huc illuc agitari. Caput erat, vt per tenebras videbamus, humanū, per cuius oculos emicabat ingēs ignis, vel horribilis fulgor

etiam extra orbes vacuos ſpargeretur. Dentes longi, & omni candidiores niue, certis inter ſe interſtitiis diſponebantur. effoſſæ genæ, eminentia oſſa, rara coma. ac velut tormentorum magnitudine ſeſe in altum vibrãs, nihil vnquam melius damnatorum à Minoe ſupplicia expreſſit. hoc tam elegans caput à mole quadam candida vndique per campum ferebatur, cum indignabundus Percas ſubſtitit, & vides, inquit, verborũ meorum fidem? vel ego ſum omni Therſite timidior, vel excutiam inanem impoſtoris fraudem, & tot oppidanorum ſpoliatas ædes vlciſcar. Ego furere hominẽ credebam, & rependere datæ ſalutis vicem aggreſſus, tenebam laciniam veſtis, negabamque me paſſurum, vt in illam furiam inſanus excurreret. At ille veſtem ex humeris reiecit, & vt fuſtem manu tenebat, euaſit in Chimæram illam, ac tam certis ictibus ceruicem eliſit, vt collaberetur in partes, & maiore meatu lucens ignis hominem proderet, qui in candida veſte fictilem laruam turpiſſi-

Quod cum feciſſem hilarius, mutuumq; riſum extorſiſſem, tandem honeſta adulatione dixi, fortunæ decretum aliquo peſtilenti fato eſſe turbatum. Illam enim inſtituiſſe vt Percantis dominio Callion cederet. Manifeſtum illinc indicium, quod huius animum ad maxima ſuſtuliſſet; liberalem, ſedulum, fortem, genuiſſet. At vero Callionis ingenium (quicquid in contrarium Percas ſentiret) ſeruilibus vitiis eſſe corruptum. Paternam humilitatem cum infamibus aulæ vitiis obtendiſſe nebulas ſapientiæ, ne ſordidæ menti illuceſceret. Tum illum denique meo iudicio ſupra Percantem fore, cum anguſtæ Laconiæ Princeps Orientis domino non abnuerit Magni nomen: nempe ſi iuſtitia, ſi virtute viciſſet. Id me profecto ſedulo competiſſe, nihil hoc hominum genere ſtolidius eſſe, qui ſe Proceres appellitari iubent: ſi modo ſunt omnes Callioni ſimiles, aut iis qui paſſim in eius domum familiaritatis iure diuertunt. Nam corporis geſtus prope ad mimicam grauita-

tyrus perturbato & incondito murmure audientium aures hinniendo perfodiant. Exactiſſime canum victorias ſolertiamque computant; nec ingenioſior ad parendum equus, quam illi ad prædicandum diſerti. Illud nemus generoſiſſimas aues alere: huius campi extenſo ſpatio inæquales lepores fatigari. Interdum etiam in thalamis deſerti, comptos & vocales ſtimulos ſuggerente libidine. Sed quam hæc omnia non à vera facundia? quam non adimunt eam cuius nomen extimeſcunt vecordiam?

Hæc tam præcipiti & calido impetu profundebam, vt non notarem coeuntium nubium horrorem, & obducti cœli caliginoſum murmur? donec laciniam veſtis corripuit Percas, & tu vero proſpice, inquit, ne furorem ſuum tempeſtas proceribus commodet, & quod maledictis laceraſti, tot vltoribus riuis inundet. Videbatur imber violentius erupturus, & verberata vento pluuia quicquid deprehenderet oppreſſura, cum tot cœli minis pręterriti ſeceſſimus

n vicinæ ſpeluncæ ſecretum, & natura-
i munimento iratis nubib. terga ſubdu-
ximus. Ingentes vacui ſoli receſſus terti-
em agrum ſuſpendebant, multæque la-
ebræ paſſim cœco ſpecu fefelliſſent er-
antes, ni luſtrata multoties ſede Percas
liſcriminum errores, & perplexum vel-
it Dædali callem diligenter tenuiſſet. I-
gitur perductus in interiora admirabar
Naturam, quę ingenio ſuo artis mentie-
batur induſtriam, & ſi quando iudicio
neo relinquebar, repetebã veſtigia quæ
ante triueram, & fallentibus giris redi-
um meum non ſine proprio riſu turba-
bam: cum in aditu ſpeluncæ duas virgi-
nes notauimus, quæ ſi nõ pertimuiſſent
ntrare tenebras ſecreti horribilis, credi
poterant Nymphæ præſides loci. Reue-
lauerant honeſtiſſimas frontes, & mi-
cantib. genis internitebat ſuauitas pur-
puræ, apertiq; ad deſiderium ſinus plus
etiam quod latebat commendabant.

Dum hoc taciti contueremur, anus
decrepito ſqualore inculta proceſſit,
manuq; virgines ducens, in antrum au-

decissime penetrauit. Pene erat vt rogarem; num Cumas nos delati, num ille esset insanientis Sibyllæ vultus, num in speluncam nos sæuior Apollinis flatus egisset. Nam & antrum non erat indignũ Phœbo, & erat eiusmodi anus, quæ etiam Æneæ temporibus vixisse potuisset. Perculerat animos nostros insolentis rei nouitas: cumque rem ad exitum contueri placeret, concessimus in angustæ latebræ noctem, & humilitate sedis corporum magnitudinem correximus: cum anus è sinu tenue cornu profert, quale extuberantẽ agnorum frontem perfodit; atrumque inde puluerem vehementi spiritu vibrans in speluncæ aditum, exclusit penitus diem, & omnia densissimis tenebris permiscuit. Etenim puluis, vt è cornu erumpebat, videbatur exiguam nubem componere, auctoque paulatim volumine huc illuc circumferri, donec tristissima nocte opacis antri liminibus insedit. Tum vero quã in nobis antea vocem curiosa sedulitas tenebat, eam timor eripuit. Morti iam traditi

videbamur, & omnia exspectabamus consentanea funestissimæ nocti; cum subito eadem anus excussa è silice flamma lampadem excitat, quæ maligne lucens magis vetabat noctem esse, quam lucem inferebat. Iam ipsæ virgines, nisi affusus splendor fallebat oculos, grauissime inhorruerant, cum Hypogæa (id erat sagæ nomẽ) bono eas animo esse iussit. Vobis, inquit, hortantibus periculosissimũ sacrum exorsa sum, & quod multis petentibus negaueram, indoli vestræ concessi. Este modo tam fortes ad suscipiendum munus, quam ad impetrandum felices fuistis.

[*Vt enim de mea potentia pauca aperiam.*
Quidquid in orbe vides paret mihi. florida tellus
Cum volo spissatis arescit languida sulcis,
Cum volo fundit opes, scopulique atque horrida saxa
Niliacas iaculantur aquas, mihi pontus inertes
Summittit fluctus, zephyrique tacentia ponunt

Ante

Ante meos sua flabra pedes, mihi flumina parent.
Hircanaque tigres, & iussi stare dracones.
Quid leuiora loquor? lunæ descendit imago
Carminibus deducta meis trepidusque furentes
Flectere Phœbus equos reuoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent. taurorum flamma quiescit
Virgineis exstincta sacris. Phœbeia Circe
Carminibus Magicis socios mutauit Vlyßis:
Proteus esse solet quidquid libet. his ego callens
Artibus Idæos frutices in gurgite sistam,
Et rursus fluuios in summo vertice ponam.

Quid hic pauor, quid inanis membrorum trepidatio loquitur? quid denique frigidus mortis color vitale pulcherrimi oris decus extinguens? Vobis iã in aperto erunt decreta fatorum, & quod tantopere vultis, certa futurorum coniugum species curam, quæ suspensos animos exedit, diluet. Videbantur ad tã sanctam pollicitationem respirare: sed ô mater, inquiunt, etiam nobis promissorum hic

ngentium successus sine infamiæ timo-
e procedet, nec à nobis sollicitatam in-
eri orum fidem vlla fama vulgabit? Tum
lla fluentes senio genas turpissimo risu
ontraxit, nec videtis, inquit, quam li-
minibus custodiam appolui? citius tel-
us hiantib. rimis inferos prodet, quam
vt vllus in hanc sedē me inuita prorum-
pat; neq; illa quam cernitis lampas quic-
quam Celei facibus, aut Eleusinio si-
entio debet. Quæ tamen si palam effer-
rentur, quæ inde nomini vestro labes?
O miseram iuuentutem, quam homi-
num potius sermo quam vita instruit?
Quotusquisque est, qui nostris artibus
aliquid non debeat? quem non aut acre
ngenium inuitat ad mystas nostros, aut
necessitatis acerbitas ad hoc perfugium
cogit? ita me ametis, vltra quinquagin-
ta hominum millia nocturnis sacris hic
annus initiauit. Iam vero quæ licentius
publicum aspiciunt, characteres, & ce-
remoniæ, & fasciolæ, & torques, & in-
clusa ignotis verbis sanitas, nonne è no-
stris scholis prodeunt? nōne omnes pro-

pe homines vna regione tenent? Quid vltra vobis referam artis nostrę præstantiam? quid incredibilem vim, ac pene diuinam?

Nunc adimit raucis, geminat nunc sibilia ventis,
Nunc aufert terrasque polis & sidera mundo
Nube superiecta. Dat vincula ferre Leoni,
Dat Damis sæuire, & inerti albescere rictu;
Aut trahit attonitam laxis radicibus alnum,
Montesque fluuiosque, & tecta sequentia mutat.
O quoties sola noctis pallentib. vmbris,
Effigies diras, mæstorumque ora parentum,
Traxit auernali ripa feroq; sepulchris
Reddidit, Eoam iam forte morantia lucem.

[*Et vt ille prudentius, verè de Mercurio* 1. *contra Symmach. inquit:*

Nec non Thessalica doctissimus ille magiæ,
Traditur extinctas sumpta moderamine virga
In lucem reuocasse animas, Cocytia lethi
Iura resignasse, sursum reuolantibus vmbris:
Ast alias damnasse neci, penitusque latenti
Immersisse chao. facit hoc ad vtrumque peritus
Vt fuerit, geminoque armarit crimine vitam:
Murmure nam magico tenues excire figuras,
Atque sepulchrales scitè excantare fauillas:
Vita itidem spoliare alios, ars noxia nouit.
Artificem scelerum simplex mirata vetustas
Supra hominem coluit, simulans per nubila ferri,
Aligerisque leues pedibus transcurrere ventos.]

Igitur de infamia nolite esse solicitæ, id à vobis esse factum negabunt vestri

mores; quod tamen si confiteri malitis, possitis defendere. Cùm hæc pronunciasset, statim tanquam in diuersas curas distracta, huc illuc cœpit circumferre ceruicem, & mox in terram obtutu nihil variante defixo consulere vires suas, & ipsam artem interrogare. Iam aliquis mortalitate maior spiritus vultum videbatur corrumpere, ac tumultus intra membra concipi, quantum ipsa non caperet, cum tres circulos humili radio designat, seque in eorum medio collocat; virgines ab vtroque latere constituit, ac tum ore manifesta sæuiente insania, crinibusque solutis, Audite, inquit, puellulæ, non est amplius vobis cum Hypogæa negotium: vatem atque antistitem Deorum infernorum cernitis, spatium quod radio definiui non potestis viuæ transilire. Tum subito graueolenti ruta, verbenaque, quam flauente filo in coronam texuerat, frontem cingit, ac deinde cultello puluerem è solo eruit, & in humilem cumulum tollens tremulis deinde manibus quadrat, literásque

F.S.P. ſatis artificioſe acu comatoria ſcribit. Tum virginis, quæ ad dextram erat, ſiniſtrũ pollicem albo ſtamine ſtringit, & acu ſubtiliſſima educit prouocatum ſanguinem, ſaliuaque, qua ipſa palmam perfuderat miſcet. Mox leuiter oculos & iugulum puellæ intingit, aures præterea, & proximos fronti crines: reliquũ cruentatæ ſaliuæ in arenam quam cumulauerat effundit, tremula horribilique voce identidem intonans, HOC LIBAMVS.

Eadem ceremonia in altera virgine perpetrata, tenui primũ murmure, mox apertis clamoribus, canem ſuum adeſſe iuſſit. Expectabamus ingentem moloſſum & Cerbero parem: mihi iam ad capulum erat manus, & educere ferrum cum vaginæ ac rubiginis tenacitate pugnabã, cum exhalante primum nebulas humo, glis tãdem prodigioſæ magnitudinis è terra prorupit. Diceres in ſemiſopito animali productum tota hyeme ſomnum pene adhuc cum vernantis cœli benignitate luctari. Cauda pro onere

magis quam pro parte ſequebatur euntem, & pigerrimæ alui moles titubantia veſtigia confundebat. Hic tam elegans canis dominæ pedes mirabili cultu permulſit: donec iuſſus accedere ad ſecretum, aliquid inſuſurrauit in mulieris aurem, & ipſe, vt videbatur, imperiũ accepit, maioremq; quam pro mole ſonum edens, in obſcuriſſimam nubem abſceſſit. Nobis vltra non erat animus, & tam inexpectatis monſtris nõ conſtantia magis quam ſpiritus excidebat, cùm illa rabidis & minantibus oculis efferata, ferales ſuas preces certis numeris aſtrinxit.

D I, quos profundo gurgite, ac flamma ambiunt
Iurata cœlo flumina, inferni Dii,
Aperite manes, pandite immensũ chaos,
Laxate fines rerum, & infeſtas polo
Cõmittite vmbras. Vatis horrenda ſono
Attonita Regis vrna Dictæi vacet.
Fatale ceſſet penſum, & hic Parcas dies
Saltem quietas videat: vt noſtra hauriat

Imperia, sternat mutus Acherontem pauor,
Sileri iubeat tristis Alecto comas,
Stygemque nullo portitor conto eruat.
Quos certa geminis fata virginibus parant,
Induite vultu coniuges trepidis tamen
Ignoscite animis: demite infernas minas,
Et placida nullus sacra concutiat tremor.
Venisse iam vos docuit. O segnes moras!
Iam iam atra frangam Tartara, & pacem impiæ
Turbabo noctis. Sæua si cogi placet,
Sunt sæua nobis arma, queis vinci quoque
Voluistis, atris verba peiora inferis,
Et postquam ahena falce cubuerunt solo,
Ter passa Lunam germina. Hoc istis sat est,

Nimiumque ſacris. Plura ſi quærit fu
ror,
Funeſtus atris ceſpes è tumulis adeſt,
Quem fulmen illa nube ſopitum am
biet,
Quæ me per omnes vexit incertam po-
los.
Hic hic in iſta veſte ſeruatur cinis,
Peiuſque quiddam. Dira ſunt, Manes
loqui
Quæ timeo, dira. Terga naſcenti modo
Detracta puero, cuius eliſæ mea
Gemuere fauces dextera, in medium da-
bo.

Dum hæc proloqueretur voce geſtuque ad terrorem compoſito, lux paulo nitidior ſpeluncæ infulſit, magiſque ac magis iuxta lumen ventuſque increſcebant; vt iam priores tenebras furto noſtro deſideraremus. Etenim cum anus miraretur quid votis ſuis moram faceret, forte in noſtram latebram cõtemplationem iniecit, & rabido clamore in-

citata, At vos, inquit, diſperdant nefarij homines, quorum me prophanus iam aſpectus indigne trucidat. Tum contempta circuli ſui religione ad nos vltro aduolabat, vel truculenta erecti oculi acie confectura iacentes, cum ingens ſimiarum numerus iter opportune intercipit; & hæ quidem in mulierculæ caput inſiliunt, hæ argutis ſtridoribus ad limen fugientem perſequuntur. Nobis autem ideo reddita videbatur audacia, quia fugere poteramus. Etenim vt mediocris terror animũ naturali conſtantia exarmat; ita cum violentius ſæuit, interdum deſperationem ad vltimos impetus trahit. Igitur reſurreximus, ac veluti cõueniſſet, in nos virgines, nos in earum ſinum mutuo terrore irruimus; cumque oborire tur ſæuiſſimus veluti colliſarum nubium fragor, brachiis arctiſſime conſtricti in terram procumbimus:

O dulcis fragor, O beatus imber,
O ſolatia plus emenda nobis!
Hoc ſemper pretio laboret ingens

Flu-

Fulmen cudere Mulciber Tonanti;
Et nos in similes bonus reuoluat
Minantis pluuiæ timor cauernas,
Hoc semper pretio, dii deæque
Peius Thessalico furore carmen
Pulset Tartara pallidamque noctam.

Præcipue Percas muliebrium astuum nequaquam inexpertus, tot blanditiis mulierem onerat, vt non ante consurrexerit, quam solidam voluptatem auferret. Ego rudior, vt bis terque virguncula mea verbis inter risum iramq; trementibus desæuiit, tristem pudibundus victoriam inuitæ concessi.

[*Vt qui Acignianis litare, & florem castitatis offerre decreueram, sic mecum ipsus ratiocinando, intempestiue, tempestiue: Mulierum congressus, quantum fieri potest, fuge. Nã eos qui Sacerdotum munere funguntur, sanctiores ac puriores illis esse oportet, qui ad mentes se contulerunt. Siquidem illi, & sui, & plebis hi autem sui duntaxat curam gerunt. Atque illi in huiusmodi dignitatis fastigio collocati sunt, omnesque vitam eorum per-*

scrutantur & explorant: hi autem in spelunca sedent, aut sua vulnera curantes, aut vitia obtegentes, aut etiam coronas sibiipsis texentes. Quod si etiam, vt cum ipsis congrediaris, necessitas aliqua te obstringat, oculos humi deiectos habe, atque ipsos quoque, quonam pacto spectandum sit, doce (non enim duntaxat docendum est, quonam modo cernere oporteat, sed etiam, vt oportet, cernere.) Cumque pauca quæ ipsarum animos astringere atque illustrare queant, locutus fueris, statim auola: ne forte diuturna consuetudo vires tuas emolliat, & infringat, atque, velut horrendum quendam & elatum leonem nacta, comam quidem quæ leonem vere leonem efficit, regiamque dignitatem ipsi cõseruat, amputet: dentes autem eripiat, atque vngues, quorum adminiculo robustissimas etiam feras vincit, euellat, ac deinde deformatum ac ridiculum redditum (animal inquam illud horrendum & intolerandũ ac vel solo rugitu montes percellens) pueris etiam illudendum præbeat. Quod si à mulieribus honore affici cupis, maxime quidem hoc spiritualem virum haudquaquam decet.

Vtut

Vtut autem se res habeat, nihil tibi cum fœminis commercii sit, ac tum ab illis honorem consequeris. Tum enim hoc præsertim nobis aderit, cum à nobis minime quæretur. Solet enim quivis eos quidem à quibus colitur ac delinitur aspernari: eos autem, à quibus assentatione minime demulcetur, admiratione prosequi. Ac muliebris natura huic potissimum affectui obnoxia est. Intolerandam enim se præbet, cum quis ipsi blanditur: ac contra eos omnium maxime suscipit & admiratur, qui maiore libertate præditi sunt, amplioreque authoritate apud eas vtuntur. Quod si te frequenter cum ipsis versari, nec vllo inde detrimento affici dixeris, id quidem fortasse mihi persuaderi sinam. At illud item velim, omnibus fidem adhiberi à quib. lapides extenuari, ac rupem aquæ guttis continenter cadentibus excauari dicunt. Quorum verborum huiusmodi sensus est: Quid rupe durius fingi queat? Quid item aqua mollius, & quidem aquæ guttula? Et tamen assiduitas naturam vincit. Quod si natura, quæ ægre moueri potest, dimouetur, idque, quod minime debebat, perpetitur, qua

tandem arte at ratione voluntas, quæ facile mouetur, à consuetudine non vincatur & euertatur.]

Iam desierat fulminis horror, iam repens cessantibus ventis tranquillitas magis formidabile antrum faciebat, cum se Percas itineris ducem præbuit, & speluncę anfractus subtilissime distinguens tandem in aditum perduxit, vbi postquam mulieres valere iussimus, quoniam timebant ne depræhensæ facerent suspicioni locum, non impigre diuertimus in aliam partem.

Mihi autem suffusus rubor, sudorque toto passim vultu deciderat; quem verecundia exortum, cum alia ratione exprimi Percas crederet: se vero fortitudinem meam laudare dixit, suadere tamen vt aliàs parcerem insueto his officiis corpori. Quid enim si nouus, inquit, imber nos in similem speluncam detruderet? quid si rursus ineunda cum integris & valentib. pugna? Pudebat probitatem meam traducere, sed & remedium in similes casus quæri placebat. Itaq; ne-

ſcio, inquam, quid exiſtimes de mea fortitudine: ſed importunæ fœminæ pluſquam muliebris pertinacia ita meos conatus infregit, vt virũ me non potuerim oſtendere. Non perſuadebã Percanti pudoris mei modeſtiam; ac poſtquam religioſe iurando fidem feci, dixiſſes iterũ in ſpeluncam deſcendiſſe, & Hypogeę ſacris conterritum pene effluenti animo linqui. Deinde vt admirationẽ in riſum vertit: mihi vero, inquit, quid accidit ſemihomo belliſſime: non eædem arces fuerunt expugnandæ? non extorquendum ab inuita, quod ſibi non eripi doluiſſet? Flectebam in terram oculos erroris ſtultiſſimi pœnitens, & ad proximam aram Veneris indignationem deprecaturus, cum Percantem miſeratio mei ſubiit, &, parce, inquit, adoleſcentię tuæ: nemo præſtantior artifex, quam qui per errores ſuos doctus ante, quod caueret, quam quod faceret, vidit, Tu modo intellige, nullum vatem extitiſſe diuiniorem, quam qui de puellis hoc oraculum cecinit.

Aſpera ſi viſa eſt rigidaſq́; imitata Sabinas,
Velle, ſed ex alto diſſimulare puta.

Quo propius expugnaſſes, eo ſegnior torpuiſſet defenſio. Nō audis vrbes obſidionum initio ciuium diligentia muniri: captas non hoſtium ſæpius quam ſuorum manibus concidiſſe?


Audiebam auidiſſime perquam vtilia docentem, & quotidianis præceptis rudem animum poliebam. Sed inſtabat parum opportunus viator, qui diligentius viam præcitabat, credo, quod cum ſolitudinis hominem tæderet, nobis oneri quam ſibi eſſe maluerat. Igitur vt commode potuit exaudiri, Heus inquit, iuuenes, hæc via Baſilium ducit? certe, inquit Percas. Et vos in oppidum illud vſq; ad inuidiam felix? cum idem Percas reſpondiſſet; Quid igitur impedit, inquit, quo minus viæ tædium mutua humanitate fallamus? Nam & illuc nō ſpectator tātum nouæ felicitatis verum etiam futurus particeps vado. Erexerat a-

nimos nostros incertę rei nouitas, impetumque speluncæ moras redimentem suppresserat. Itaq; in medium receptus, veluti ne iret sine sermonibus via, perplexe rogabatur de Basilianis, deque eorum ingenti fortuna. Non oportuit vlterius stimulos admouere homini in hoc sponte iam imminenti, vt, quoties sermo defecisset, illa semper materia faceret eloquentem. Nam & quod summum est loquendi incitamentum, amabat, & humilioris vitio mentis, cum omnia in miraculum traheret, quæcunq; animum affectu diducerent, his alios etiam delectari credebat. Est, inquit, vt audisse vos arbitror, Acignius, vir integritate vitæ mirabili, cuius animus ad sublimia quæque natus, rerum quas in vsu quotidiano habemus humilitatem despiciens, iis solis acquieuit, quorum magnitudo vix ipso cœlo caperetur. Tum is non animum modo imbuere vastis cogiationibus, sed & familiam his artibus præstantissimis erudire cœpit, nihil ineptius, quam primam ætatem voluptati-

bus

bus dedere, laborioſis exercitationibus natam. Vanum eſſe, earum rerum cupiditate torqueri, quæ poſſint aut non haberi, aut cum habeantur effluere: Magnificentius atque illuſtrius contemni voluptates, quam admitti: His præceptis, & quod ipſius mores ſeuerius etiam quam verba familiam ad occultum recti tramitem ducerent, effecit, vt apud ſe virtus domicilium conſtituiſſe crederetur. Tum omnes ſe in diſciplinam dare, omnes certatim aut opibus conatus opimos, aut conſilio, aut gratia, prouehere. Quid multis? in tantum potentiæ faſtigium euectus eſt, vt iiſdem modis deprimi non poſſet, quibus erat elatus. Populum ſacrorum & religionum terrore deuinxerat. Iuuentutis; quam ipſe expoliuerat, ſtudiis ardentiſſimis efferebatur. Principes populi metu; Magnates Principum ficta beneuolentia tenebat. Denique omnium ordinum vires, priuatæ domus limine concluſerat. Deſcribebat ciuitatum gubernationes, magiſtratus, prounicias, imperia, o-

mni grauitate & ſapientia mandabat: domeſticas etiam priuatorum controuerſias ſingulari artificio componens. Etenim nihil tam ſanctè cuſtodiebat parietum fides, quod non ſanctiores mulierculę efferrent in Acignij domum: aut ſeruuli, quorum taciturnitatem pietas expugnauerat: ipſi denique liberi, cum eorum inobſeruata diligentia latebræ omnes ſecretum proderent. Itaque nunc comiter, nunc aſtute, modo paterna lenitate, modo maieſtate cenſoris, ſequeſter erat coniugum diſſidiis, deponendis inimicitiis author, ſocietatum, nuptiarum, fœderum, pietatis, ſcientiæ, iuſtitiæ, virtutis omnis & religionis arbiter. Ex hoc oraculo, quem quiſque quo tempore ſermonem habuiſſet, quibus moribus eſſet, quibus opibus, quo etiam inter penates genio, qua temperantia, qua libertate, noſcitabatur. Denique poterat orbis ſub hac diſciplina ad futurorum ſeculorum inuidiam floreſcere, niſi ipſe ſuæ felicitati inuidiſſet. Itaque vbi quam ipſi extruxerant po-



ten-

tentiam magnates timuerunt, omnia criminari, & in inuidiam trahere, etiam benefactis criminum speciem obtendere, exterminare deniq; præcipitem Acignium velle:

Sed videt hoc, videt ille Deûm regnator, & ausis,
Sera quidem, manet ira tamen.

Imo statim manifesta vltione numen desæuiisset, statim liberales disciplinæ rudi situ & inculto inhorruissent. Nulla literis maiestas, nulla hominum animis fides diutius stetisset: videbatur probitas exulatura cum Acignio, & iamiam vno tanti facinoris metu in ieiunam sterilitatem fœcunda ingenia degenerare. Itaque necessitas Acignium in gratiam reduxit. Amplissimo decreto iussus est non fuisse nocens. O non amoris magis quam veritatis vis ignea, vbique se prodens atque emicans! Cessit Acignio in gloriam maledicis sermonibus fuisse violatum. Lana sordidissimis squaloribus inquinatur, antequam pur-

puræ fulgor eam imbuat. Nec prius aquila fœtum agnoſcit, quam dubitauerit agnoſcere.

Delectauerat animos noſtros libera pariter, & ſimplex oratio. Nã & nihil in Acignio non amabat, nec aliquid quod amaret, celabat animus, ipſius primum affectu, deinde noſtra patientia incitatus. Igitur in tantam familiam aſcitus, quem, inquam, nomine Acigni non terrueris? quem non libera & potens ſeruitus tanget? Hic ille, quaſſatis aliquantulũ ceruicibus, nihil me, inquit, iſta mouerunt. Aliis gradibus in tantæ ſublimitatis cogitationem aſcendi. Nihil vltra mihi à puero placuit, quam eruditionis nomen. Elementa didiciſſe non memini: nec pœnitendi ſucceſſus ætatis initio acuerunt animum ad laborem. Quid verear cõfiteri iam in humilitatis diſciplinam me traditurus? ad annorum numerum decreuit ingenij vigor, ac vt ex Ammonis fonte prognatum diceres, cum maxime deberet caleſcere, rudis animi impetus obſtupuit. Quam non huic ma

lo quæsiui medicinam ? vota non suscepi ? Sed O Numen non audiendis interdum precibus, quam differendis benignius! Hanc votorum frequentiam noluit nisi geminata felicitate donari. Animaduerti nihil in Acignii familia honestis disciplinis non excultum esse. Et primo in eam admitti nullos credidi, nisi quos iam ante illa bona ornassent. Tandem curiosius spectator notaui domus illum esse genium, vt inquilinos extemporaneæ doctrinæ spiritu afflet: vestem illic dari non colore magis pullo, quam monstris ac miraculis tinctam: ea vix vt temet incluseris, eloquentia mentem elaborari, iudicium industria. Denique quos vt despectissimos ingenio etiam infra me habui, iam in Acignii comitatum recepti celebrantur sermonibus sociorum omnium, his negant quicquam esse subtilius. Hæc, ne quid dissimulem, stimulabant cupidum sciendi; sed incitauit vehementius res magno mihi nuper secreto credita. Hic cum moraretur, cœpimus familia-

riusinſtare, & prope velut eodem ſtudio tacti. Tum ille non modo, inquit, promittebatur eruditio huic militiæ nomen danti, ſed mihi in ignorantia conſeneſcendum ferebatur, ſi tam egregiam conditionem temnerem. Dii multi nolunt ſibi ſacra fieri, niſi deſtinatis à ſe locis. Non in quolibet antro inuenies Trophonii ſpiracula, neque barbarus ignis deos Græciæ delectat, & ipſa Ceres quamuis omnia ſuis muneribus velet, anguſtas ſedes religionibus occupauit. Muſis iam non eſt aliud ſacrarium, præter Acignii domum. Nec ſe modo intra illam ſemper ædem produnt, ſed & me hercle tantum ibi oracula, ibi Themis, ibi Pegaſi liquor,

Vates vbi factus Apollo.

Quis alibi doctus? quis limata veraq; elegantia cultus? Diceres barbariem vbique extra Acignii pomœria eſſe, & inceſtare magis Muſas quam colere. Iã ipſi prioris æui ſcriptores, vt ſubmittunt victi domita capita? nullibi medius fi-

dius locum inuenient, nisi cum pipere aut ficu aut passis in Martium vuis. Prodeunt disciplinæ omnes meliore cultu, & seu policitæ, seu rusticæ, rei seu patrum memoria & factis è puluere excitandis, seu cœlestis, seu terrena, seu àquatilis doctrina sit, non erit alius quem delicata ferant ingenia, præter Acignii vernas, etiam literaria bella tanta constantia gerentes, vt & veneficas tenebras sola face & stylo armati intrent, & Romanas acies in ordinem ac veterem disciplinam religiosa scrupulositate digerant. Cum excidisset imprudentius mihi risus, timeremque ne quid in me odii cõciperet ad Acignium iturus; Quis mortales, inquam, non rideat oblata felicitate non vtentes, nec magis fortuna propria lætos, quam irata seueraque tristes? quotus enim quisque est quem hęc moueant? quis transit in familiam tantæ spei, & in qua non modo docti omnes, sed extra quam nulli? Tum ille, fatum, inquit, illud est ætatis nostræ luctuosissimum. Sed pomaria vides non sua ma-

gis

gis pulchritudine capere transeuntium mentes, quam artificioso rubi examine tuta spem fructuum domino conseruare. Laboribus, diuitiis, pene libertate emenda est illa quam poscimus felicitas.

Dum hæc proloqueretur, iam se aperuerant Basilii fastigia, & ipse sublatis manibus hospes adorauerat locum. faciebatque quod expeditissimi curis elegantibus iocis traducerent. Sed notauerat Percas afflictum me nouis curis, quas necdum ego aduerteram. Nam & pallebam interdum, & improuisa suspiria laborantem animum prodebant, nec iam semel imprudenti vultus exciderat. Itaque solicitauit pollicem meum, ac vt sibi constare venam sensit, & mentem arcano morbo quati, me hilarius interrogauit, vellemne etiam ad Acigniũ secedere. Cum ego subriderem. immo, inquit, eremum, vt existimo, malis, & speluncam duobus internitentẽ astris, quorum pulchritudine iam in limine fati hærẽtes ad iucunditatẽ viuendi redimus. His dictis; suspendit animum, fecitq;, vt longa co-

gitatione morbum meum quærerem, qui fallebat adhuc inexpertum, & perplexis se tegebat ambagibus.

Etenim virginis illius species, quæ mihi pene fortito in spelunca obtigerat, perambulabat animum meum, & imbuebat affectu tenerrimo. Nec aliud tamen suggerebatur incertissimæ menti, quam quod humanissimam puellam offendissem. Nunc licentius egisse metuebam, nunc subrusticum meum pudorem accusabam; nutus denique omnes atq; vultus, tanquam iratæ mihi mulieris longa æstimatione pensabam. Hæc assidue anxio morsu me carpebant, & lancinabatur animus inutili pœnitentia. Igitur postquam in vrbem peruenimus, vix etiam Percantis colloquium ferens, quærebam miseriæ meæ secretum, quo me affari, & obiurgare dolorem liceret. Itaq; dum cultum nostrum in stabulum reponit, furtim subduxi me, & in proximam latebram conieci, cœpiq; grauissime accusare perturbationem iam se magis magisque prodentem, nec

sile-

ſilebat intra me diſcors affectus; & prope vocalis Tragœdia ſe quærentis; nec inuenientis animi ſubmouebat erumpentes ſingultus, & in hũc modum eloquebatur. Quam antea non videras, cuius etiam te nefanda curioſitas offendere debuit, vt te ſic imbecillem torqueat? eſto; ſit irata, ſit auerſa; conqueratur de iniuria, ſi quam merito ſuo accepit, cur hoc ægre fers? quare indignum maceras? Itane parricida; quanta timiditate peccaſti, tanta nunc audacia excuſas ineptiſſimum ſcelus? His dictis attentius hæſi, mihiq; videbar intueri, ſi quid turbatæ mentis confuſio ſuggeſſiſſet. Ac tandem id placere viſum eſt, quoniam ad ſumma & improba vota non erat aditus in ſecundis hærendum. Satis fore ſi ignoſceret errori meo, ſi illi cogitatiões meæ palam eſſent, denique ſi amaret, licet fortaſſe nũquam ad oculos & aſpectum reditura.

Eia tollite perfidum, rebellem.
Eia tollite perfidum puellum;

De matris niueæ ſinu puellum.
De matris niueæ oſculis amorem.
Eia lictor ades; ferox ſeuera
Venalis iaceat puer ſub haſta;
Cui ſimul fuit & diem bibiße,
Et noſtras auide ebibiſſe venas.
Si qui inquam Scythicis adeſt ab oris,
Si qui Mygdonias reliquit vndas,
Aut de littore venit Occidenti
Mercator rate vectus huc auara,
His breui pretio relinque, lictor,
Illum, quem pretium putabo grāde,
Si noſtris procul amouent ab oris,
Emant inſidias tyrannulumque,
Et quotquot mala trux, ferox, ſceleſtus,
Sua continet ampliora mole.
Nā quid (Numina) ſi Cupido noſtris,
Si noſtris adolet Cupido terris,
Et prima modo tam potens ſagitta
Dehinc cuſpide ſæuiet virili?

Ibis per Scythiam ferox Cupido,
Aut per Mygdonias ligatus vndas,
Aut in littore seruies cadenti.
Ecce vt eiulat, vt latus tenellum
Suspirans quatit. Audiit minantem:
Puer parce tibi, & timere cessa:
Puer, parce mihi, Deos deasque
Iuro, iam mea iam resedit ira,
Nec te frigida iam tenebit Arctos:
Nec Tartessia te videbit vnda,
Pulchro vulnere languidos ocellos
Peius vespere deprimens propinquo,
Aut te vix propriæ facis capacem,
Eoo positum nimis sub axe
Vret publica, sentiet ve, flamma.
Has vna redimes, proterue, pœnas,
Has vna redimes, puer, sagitta;
Si pectus Dominæ meæ tenellum
Prorsus cuspide scindis in cruenta.
Tum qui me modo sauciauit ictum;

Tum dextram venerabor, & secundo
Optabo nimium perire telo.

Post hæc veluti læsæ mētis insomnia consurrexi, & Percantem quærere cœpi. at ille iam in diuersam partem abierat, & cursim per vrbem delatus, interrogabat omnes ex vestium mearum notis, si quis errantem conspexisset. Tandem ad Acignij domum venit, ibique præclusis foribus diutius hæsit, donec ostiarius, qui iam cellam destituerat, multis clamoribus & importuno pulsu arcessitus, quadratum in medio ostio cancellum laxat; ferreisque maculis intendens oculos, negauit fas esse quemquam admitti post vigesimam primam diei horam, præcipue, inquit, nostris hodierno apparatu fessis; quippe qui in crastinum solemne ludicrum meditati, somno intermisere laborem. Hac repulsa accensus Percas, vt non erat iracundiæ bene potens, nescio, quibus verbis vltus est abeuntem, & in stabulum se recepit.

Interim

Interim cum cænulæ officium ancilla ſtrenue exequuta thoros & menſam ſterneret, profuſo ſudore madidus, & parum compoſito ſpiritu domum redij. Quippe quem lapidibus tota vrbe exceperat petulans laſciuia quorundam adoleſcentum, qui excoli ab Acignio ferebantur. Illi primo contumelioſe peregrinum cultum irriſerant, ac cum ædiculam quandam prætermitterem velato capite; iam non contenti perſtringere aduenam maledictis, tanquam intraſſem in Lycei Arcadici penetrale, deſæuierunt lacertis excuſſiſſimis, & lapidum veluti nimbo aerem condiderunt: At ego libertatis etiam memor, quam mihi olim dementię ſpecies dederat, à fuga in prælium conuerſus, remiſſi grauiſſimam molē, & anteſignani caput fregi. Ea res impetum furētium ſtitit, cum omnes in iacentem intenti, pars tollerent, pars ſiſterent ſanguinem, plures turbarent. Ego interim delapſus ad ſtabulum deuolo, & laudatas inſigni fortitudine manus, cum adhuc expugna calerent, geli-

da perluo,non fine Percantis risu,qui lepide interrogabat,an in riuales meos ii - cidissem.

At vero cum defessi concessissemus in triclinium,redeuntibus subinde curis angebar, & amore animum in spes vanas erigente,vagis & inanibus commentis producebam solicitudinem. Itaque nullius rei diu patiens perambulabam cubiculum, & cruda vulnera causabar, quia plurib.locis occipitium saxis pueri pertuderant ; cum interim ad ostiolum nostrum muliebre insonuit murmur: egoque audaciam fingere cœpi, si quod omnino sperari non poterat, mihi dominam & pœnitentiæ locum misericors fortuna reddidisset. Etenim quo ab illo discrimine magis aberam, eo superbius secuta gliscebat audacia, ac vt Homericus canis, fugientem fortunam latrabam, & venientis imagine terrebar. Sed postquam laxatis foribus euasit in cubiculum mulier quædam cultu mediocri, vnoque comitata puero, tum soluti poplites corpus exanimum demi-

ſiſſent in terram, ni mature velut intermiſſam cœnam repetens, puluino demerſiſſem timidiſſimum caput. At illa, dimiſſo ante puero, ſaluere nos iuſſit, neu mirari quod intraſſet ad nos audacius: ab iis ſe mitti, quæ amore ac beneuolentia ius familiaritatis meruiſſent. Hæc non ipſe Percas immotus audiuerat, & noſtrum iam iter pluribus credebat monſtris, quā lapidibus notari; cum mulier ſoluto ſinu exilitatis exquiſitiſſimæ pixidem mihi ad miraculum ſurgēti admouet; &, rogo, inquit, non es Euphormio? Cum me eſſe non ſatis conſtantibus verbis retuliſſem, timuit falli, & trepidantem iterum confeſſionem extorſit. Sericum erat tenuiſſimum, purpura recoctum, quo pixis reuincta aureæ cælaturæ rubeum fulgorem admiſerat. Artificium autem mirabile, vt, quocumque illam verteres, eædem oculis ſpecies ſubiicerentur. In ea emendatiſſima Cupidinis imago Apollinis contumaciam duplici telo vlciſcebatur. Hinc aureus Phœbus, iſthinc

plumbata Daphne, omne præſidium collocauerant in pedibus: & ipſe gemmeos vultus Amor contrahens, matri ſuam victoriam puerili ſimplicitate narrabat. Illud præcipue ſtupebam, quod per rarum ſericum facillime admitteretur acies, vt vbique tecta pixis videretur, & vbique nuda. Circulus prçterea ſuperioris partis eminebat tam commode, vt imaginum gratiam diuideret magis quam frangeret. Quodque rariſſimum eſt, elegantis doni moles maturæ auellanæ menſuram non implebat. Tum mulier frangere ſericum iuſſit, & interiora ſcrutari. Erat autem vaſculum mortuis formicis, & iam ad fœtorem ſolutis plenum. Quod non magis admiratus ſum, quam effuſam in riſum eam, quæ dederat, pene obliuiſci modeſtiæ, & comploſis manibus non ſemel repeteret. *Illic te leges.* Tum Percanti Literas tradit, quarum eiuſmodi erat exemplum. Neceſſitudinis mutuæ credidi, ne te mirabili nuncio fraudarem; quod eſt eiuſmodi,

vt non nisi mea fide tibi credibile esse possit. Nondum erepti è conspectu nostro amantes oculos fallebatis, cum ingens stupor nos auertit à contemplatione tam iucunda. Quippe laceratum cadauer, & in hos vix integrum vt fuisse corpus noscitaremus, sparsis huc illuc frustis semel atque iterum lubrica vestigia euerterat; cum cruentum solum notauimus, quaq; deficiebat sanguis, omnia velut recenti incendio tegi: trabem etiam, cuius fastigium curiose acuminatum detruncatis Hypogææ veneficę ceruicibus premebatur. Frons incultissimis sulcis minax nihil omiserat de viuentis feritate, nec facile dixisses, an plus truculentiæ in viua fuisset, quam horroris in mortua. Ideo Veliam meam, fidelissimam mulierem ad te mitto, quæ oret vt in spelũcam reditu maturato diuertas. Ibi consilio tuo, & industria vtar. Soror mea lepidissimum munus contubernali tuo misit, & fortunæ suæ conueniens. Vale. Erat autem subscripta Epistola tribus literis inter se prope confu-

ſis I.L.A. nec aliud in cera, quam monetæ publicæ forma.

[Maxima cunctorum Victoria victa voluptas.
Inclita nec virtus altius ire poteſt.
Herculis eximiis laus ſumma è laudibus iſta eſt,
Terrigenam potuit qui ſuperare Libyn.
Et preſſo validis procul à tellure lacertis
Eripere altricis ſic alimenta ſua.
Par erit Alcidæ, qui pectoris Anthea vincit
Ipſe ſui: Affectus & Ratione premet,

Et illa præclara.

A voluptate occupatus, viuit infeliciter.
Abrumpit mediam voluptas vitam & adoleſcentibus.
Ad recedentem voluptatem aſpice, haud vbi aduenit
Adiuuat voluptates opum ſuperfluentia.
Ab voluptati ſeruire vnaque publico nequit.
Certior nulla eſt voluptas, quam quæ iam eripi nequit.

Cui

Cui bono est summo voluptas, est magis pecus quam homo.

Cuique plus Dii dolorum, quam voluptatum oggerunt.

Cum palpat, sæuit voluptas, cum blanditur, enecat.

Cum voluptate haud eadem sede Virtus permanet.

De voluptate ardua est, sed rarior victoria,

Ebrius voluptate, ad se vix redit iam mortuus.

Esca cuilibet voluptas est malorum, ah, omnium.

Est comes dolor voluptati, est comes molestia.

Est datus dolor ac voluptas pro clauo mortalibus.

Est voluptas intuenda tunc cum abit, non cum venit.

Est voluptas, sed crudelis, hominum quæ fit è malis.

Est voluptatū, clientes acri vt œstro agāt suos.

Ex visu ac factu voluptas, omnium fœdissima est.

Falsa hominem fere voluptas verum ductat ad malum.
Grata ibi non est voluptas, regnum vbi virtus tenet.
Grata nemini voluptas quæ dolore empta est mero.
Hamus vt pisces, voluptas sic homulles abripit.
Nocet voluptas quæ fit tempore haud suo.
Non est ibi voluptas, est vbi timor.
Non si lætitia, item voluptas est bonum.
Nulla est voluptas absque rerum opulentia.
Nulla est voluptas cui comes non sit dolor.
Nulla est voluptas quæ satiari non queat.
Nulla est voluptas pura, quam post funera.
Pecoris voluptas certe, non hominis bonum est.
Quam minimo pretio fac voluptatem expleas.
Quam multa sunt quæ per voluptatem necant?
Quid est voluptas, præter quam vmbra & somnium?
Quo maior hoc & est voluptas turpior.

Regnum voluptas mutat in tyrannidem.
Semper voluptas magnam habem famem
sui.
Turpe est senescere saxa apud Sirenia.
Turpis voluptas est, cuius post pœnitet.]

Perlectas ille cum ostentatione affectus literas mihi in manus dat, cœpitq; à muliere quærere communis dominæ nomen. At illa hominem elegantissime risit, &. nescis, inquit, cæcum esse in his regionibus Cupidinem? Restitui imprudenti oculos; docebis alis vti, & profugiendi libertatem. Quid amicam optimo gaudio spolias, & quod est in voluptate potissimum, noctem atque furtum ingratissima mente detrectas? Tam audacter prolocutam, & iam rarioribus velis obducentem nequitiam, intenti aspiciebamus, cum illa repente leues & nitidos vultus in laxissimam senectutẽ vertit. Crederes Menelaum sciscitari à Proteo iras cælitum & tempestatũ vices; tam repente noua frons loquentem

immutauit. Nec expectauit stupentium voces, sed trementibus, & ad supplicationem componentibus timidissimos vultus, me, inquit, me ipsam possetis agnoscere? Aut putatis eadem ruina quæ Hypogæam abstulit, omne illius artificium cecidisse? Et animis nouas species inducimus, & frontibus; nec felicius inuestigabitis dominæ meæ limen, quam aut Ceres, aut Inachus, amissos liberos quæsiuerunt. Si tamen homines estis, id est, si agnoscitis suauissimæ mulieris imperium, date fidem in consciæ speluncæ secretum post diem septimum redituros. Cum ita quassarentur capita nostra vt annueremus, egreditur cubiculum, & in equum qui ad hoc pro foribus stabat, attollitur.

Nobis autem excitus à mulierculis terror cum profusum sudorem passim mouisset, tamen posteaquam discessit & soli constitimus in acie, crescentibus subinde animis in profusissimum risum cessit. Sed præcipuus erat sermo de mea pixide; quid hoc callidæ puellæ com-

mentum designaret. Cumque multa inuicem disputassemus, tandem in Percantem consensi. Volebat autem speciem meam, quæ non ingrata virgini fuisset, per cælaturam amatoriæ imaginis pingi. At quoniam eidem ineptia mea persuaseram, effœtas intus & funeratas vires esse, ideo plenam é mortuis formicis prixidem Naturę mendacium arguere, quæ interna vitia tanta subtilitate texisset.

Sed omnia trahebam in alimentum flammæ, & prope irascebar socio meo, qui tam docili febricula exæstuabat, vt siue tepescere morbus iuberetur, siue mori, audire posset imperium. Diceres nos è nauicula recens egressos, & illum qui mari paruisset, durius torquenti ventriculum, compositos humores in littus extulisse: qui autem repugnassem elicienti pelago, demum in arenam dimissum, graui capite, lassisque vestigiis, reddi aquam, mihi petere, vt ibi medicinam quærerem, vnde morbum hausissem. Verum hanc inter nos seditio-

nem grauior tumultus cõpescuit. Quippe furentium hominum armato concursu ædes inhorruerant. Passim audiebantur dissilientium portarum casus, & asperæ minantium voces, & ipsa nox per se formidabilis inanibus omnia terroribus auxerat. Igitur exspectabamus venientis procellæ sæuitiam: certi, quoniam nos in theatrum suum fortuna produxerat, nostras etiam esse in illa fabula partes. Ego vero totius mimi argumentum eram, qui puerorum lapidationem remisso saxo compresseram. Inciderat enim moles in nobilem puerum, & timebatur vulnus altius intromissum, quam vt solæ carnes sauciatæ essent. Iam Acignius apud Dictatorem municipij interuenerat, & religionum authoritate ciuilem armauerat vindictam. iam irruperat Dictator in triclinium nostrum, vbi omnibus ad furorem tumultuantibus, Tunees, inquit, litterarum prædo, qui omnes deos & homines vno facinore violasti? Nisi litteras nominasset, credidissem etiam à

virgine missum. Sed posteaquam inuidiam intellexi, non sustinui dimittere supercilium, quod erexerat conscientia laudatissimi facti: cuius rationem cũ cœpissem reddere, barbara heu inimicorũ rabies non potuit innocentiam audire. Præcipitem exturbant de thoro, manusque vinculis stringunt. nec proficiebam iustissimo planctu, cum prouocatum ac inuitum in pugnam descendisse clamarem. Me quoque vulneribus affectum, & vtrinque vindicandam pari seueritate audaciam.

[*Etsi enim nulli nocendum, tamen si quis læserit.*
Multandum simili iure, fabella ammonet;
Vulpis ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior inuitasse, & ea liquidam in patina
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit Ciconia:
Quæ vulpem cum reuocasset, intrito cibo
Plenam lagenam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa, & torquet conuiuam fame:
Quæ cum lagenæ frustra collum lamberet,

Pere-

Peregrinam sic locutam volucrem accepimus?

Sua quisque exempla debet æquo animo pati.]

Sed caussa esse non potuit, vt in patricium iuuenem, & Acignij studiosum, insurgerem Præcipue Dictator officiosam iram egregie fingebat; & se vero sceleris mei vindicem, se alumnum & cultorem iustitiæ firmabat.

At Percantem primo rei nouitas posuerat extra se, vt interdum tacite quereret, veris ne casibus, an per insomnium ageremur; interdum cõtumacius insurgeret in publicos seruos, & sublatas in meam perniciem manus sui capitis periculo auerteret. Mox vt fustium acerbitas sanitatem mentis reuocauit, & sibi quoq; intellexit parari vincula, non inultũ hoc erit, inquit, domino meo Callioni. Putares reuelatã Persei Parmam, & omnes plusquam lapideo frigore obriguisse. Ita cũctis & animi, & manus ad Callionis nomen ceciderant. Quod vt sensit callidissimus Percas, manicas

meas feriens, eas etiam iurabat Callioni impoſitas eſſe. Iam miniſtri lentius ducere, iam mitius imperare Dictator cœperat, & ego aperto circumſtantium murmure probus eſſe, cum Acignio nũciatum eſt Callionis eſſe ſeruum, quem authoritate ſua læſerat:

O quæ ſacrilegas, prius relicta,
Terras filia deſeris Tonantis,
Nunc, Aſtræa, feros remitte vultus,
Nunc lenis magis, & magis ſerena,
Iam te protinus, o potens virago,
Iuſtis omnia cultibus reducunt.
Nunc eſt dignus honos, tuoq; dignos,
Diua, numine nunc habes parentes:
Nunc ortam ſacra fama confitetur
Regum ſanguine, diuitumque tectis,
Et penatibus inſerit potentum.
Et ne non pia iam colas parentes.
Quod diti placet, aut placet potenti,
Aſtræam loquimur iubere factum.

Tum Acignius ad me ſumma celeritate contendere, tum aſpergere accuſa-

tioni fucum callidiſſimis excuſationibus cœpit. At magiſtratum maior inceſſerat perturbatio, cum & ſermones hominum timeret, ſi tam facilis machina euertiſſet ſententiæ robur, &, ſi perſtitiſſet, Callionis potentiam. Sed aſſuetudine peccandi ſuccreſcunt ipſis ſceleribus excuſationes, & animus in flagitia promptus in expedito commenta, velut ſceleratæ vitæ cuſtodiam, habet. Itaque non multum moratus, neque, inquit, iuſtitiæ quicquam nego, neque Callioni aliquid dabo, quod vir integerrimus ſibi datum poſſit iraſci. Vtinam non audiſſemus tantum nomen; vt ſponte liceret eſſe iuſtis! Nihil fallo; ſed niſi prouocatus pugnauiſſes, niſi tuam cauſam vulnera peroraſſent, non impune tuliſſes hanc feriendi licentiam. Sed audi, fortunam in te hactenus, non ſcelus, punij. Non oportuit populum leuari fortuitorũ terroribus, ne graſſandi licentiam inulti prætextus oſtenderent. Itaq; habet à me Callion neq; neglectam iudicandi conſuetudinem, & gaudere me nullũ fuiſſe

ex ipſius familia, ira Domini, meaque ſeueritate dignum.

Sed iam in familiaritatem deſcenderat Acignius, & mira humanitate inuitabat in craſtinum ad publici celebritatem ſpectaculi. Iam etiam ex vulneribus ægrum ad thorum deduxerat, ac blanditiis omnibus obſtinatum animum expugnabat: pepercisſemq; forſitan, niſi ceruicibus in ſpondam inflictis vulnera recruduiſſent. Preterea ſero conſenſerat in iram animus, vt in ſyluis, quo difficilius molitur imber ramorum textiles nexus, eo pigrius admiſſæ aquæ ſtagnant.

At vero poſtquam tempeſtas in ſerenum tranſiit, & defatigatas mentes denſior ſomnus obſedit; terribilem fortunæ luſum, qui nos tota die verſauerat, nocturnæ imagines reddebant; vt infeſtior ſibi eſſet ipſe animus per miras cogitationes ſe terrens; quã fuiſſent externæ formidines: donec tympanorum ac tubarum clangor ſub rubentis Auroræ fugam inquietum ſoporem excuſſit, meque ad paratam ab Acignio ſcenam

cum Percante adduxit. Sedebat mihi proxime modestissimus senex, cuius cum humanitatem libassem, ingemui, fortunam eiusmodi moribus meam patriam inuidisse. Nec difficilis fuit similium morum conciliatio nam & secretus impetus inuitabat ad amicitiam, & orationi nescio, quis genius insinuauerat fidem. Ig tur nondum composito aulai tumultu ludimagistrum spectabamus, qui nudis fere ad cubitum lacertis nunc firmabat orchestram, modo scenam, & verbis ad anhelitum expressis, hortabatur actores, hic regiæ meminisset grauitatis, ille muliebris pertinaciæ risum, lachymas teneret, & impositos mentirentur affectus. Interim optimum senem rogabam: num vt audiueram in Acignium consensisset omnis virtutum familia; num in verticem integritatis hominē Gratię manu duxissent. Hic ille,

Suspirans imoque trahens à pectore vocem.

Et vero, inquit, ducebant. Quoque iuſtius indigneris, non inuię rupes, non aſpera cautium malignitas, auſpicata compreſſit veſtigia; ſed exiles ſtipulæ ſuſtinuerunt perſonam robuſtiſſimæ molis. Diceres domiti exercitus inanem vmbram victorem animum terruiſſe. Ita fuſo vitiorum examine non potuit ſuſpicionem vitiorum fugere. Vanitatis, ambitus, auiditatis, in republica, in re literalia reprehenditur. Cur non tollit ſuſpicionem; cur non extinguit incendium, quod illius famam inuidioſis criminibus vrit? Denique cur non mu'cet, aut cur homo videri timet, & interdum erraſſe? Crederes cum illius ct s cœlitum decreta conuelli, neq; ſe quicquam à Numinis cauſa eſſe ſeiunctum. Mirandum porro eſt, infeſtam Acignii (iniuria credo) ſed infeſtam ſuperbiæ crimine famam; qui diſcipulum pene nunquam dimiſit non ſuperbiſſimum, aut qui aliquem vltra ſe, magiſtrumque laudaret? Quanquam & illius gloriam plerumq; corrumpunt, qui omnia eius

dicta factaq; in miraculum trahũt: quoniam hac ætate sic viuimus, vt quem factiose laudaueris, huic seu inuidia seu cõtra sentiendi ambitione sim iniquior. Ac ne sit aliquid in Acignio non insolẽs, quam amici famam euertunt, imprudẽs inimicorum furor alit, dum calumniandi licentia iustiores querelas eneruant, & ineptis criminationibus veriora iudicia destruunt.

Dum hæc proloqueretur, tantum silentium totam domum occupauerat, vt altiore Sigalion excipi nunquam possit. Itaque ad scenam oculos conuertimus, quam decorus adolescens perambulabat, qui fabellæ argumentum pandere cœpit, versu non multum delicato. Fingebatur autẽ iuuenis, fortuna & ingenio illustri, paternis bonis solitarium deserti prætulisse silentiũ, nec sanctissimas matris lachrymas, nec principis authoritatem religiosi cœpti fregisse cõstantiam. Nihil illo venustius, si fabula Roscios inuenisset: sed omnes ad pedum numerũ humeros torquebãt, omnes fictitiis vo-

cibus corrumpebāt naturalem gratiam, & trita ſæpe verba inſolētiam teſtabantur aſcititiæ maieſtatis.

In illis deliciis optimam lucis partem conſumpſimus; tandemque digreſſus ex moleſtiſſima ſchola, viam ad Fibullium cum Percante exorſus ſum. Ac vbi extra Baſilii munimenta conſtitimus, tum ſolutiore gaudio ridebamus pridianæ lucis prodigia, & memorabiles tot moleſtiis caſus, ex quibus nihil præter paucula in occipitio meo vulnera durauerat. At vero nihil eſt diuturnum, quod ſit extra fortunæ conſilium. Etenim Fibullius ad interitum æger marcentem familiam ad poſtremam ſolicitudinem deduxerat; noſque ab ipſo gaudii limine triſtitia veluti fugitiuos reuocauit.

Sed mirabar hominum genus totis Fibullii ædibus conuerſari, imperioſum, triſte, ſeuerum, qui nec ingemiſcebant ad familiæ planctum, & frontes ad triſtitiam arte magis quam ſponte contraxerant. Quos vt Medicos ſæpius appellari

audiui, nõ prius interrogare Percantem desij, quàm intelligerem omnem religionum differentiam in tres partes esse distinctam. Hos appellari Priscos, illos Nouates, tertium genus Medicorum esse, sed potentissimam factionem Medicorum iam latissime dominari: vt quod Spartacus regnum concupiuerit, isti serui occuparint. Iam Procerum partem, iam Magistratuum, eruditorum etiam greges totos consensisse in Medicorum scholam, hæc & talia sentientem: Aut Numen solis terroribus fingi; aut si est aliquod, omnia permisisse dispensatrici naturæ: animum ita corporis domicilio insinuatum, vt extra illum carcerem non duret: denique religionibus sicut vestibus vtendum, de quibus & consuetudo & ipsa vulgi inconstantia iudices sedent. His institutis docti facillime peccant in hominum vitam, & nouis experimentis radices omnes ac metalla tentant, nec perniciem hominum æstimantes, nec numinis iram.

[*Adeo enim multas artes misera mortalium*

Soli-

ſolicitudo feciſti? Fato viuimus, languemus, conualeſcimus, morimur: medicina quid praſtas, niſi vt iuxta te nemo deſperet? Dicturum me putas, non credo renunciantibus, non accedo cum deſerunt relinquuntq; languentes. Ego vero medicis non credo ſperantibus. Aſpicite maiorem partem generis humani, & ſi me interroges, illam robuſtiorem, illam adhuc in prima rerum natura veritate viuentem, nullos artis huius nouit antiſtites: nec minus tamen bellorum vulneribus, morborumque medetur incurſibus, non diſputationum vanitate ſolerti, ſed experimentis: & inuicem per ſimiles diſsimileſque caſus obſeruatione ducente, tradita ratione ſuccurrit. Non medicina ſanat, ſed quicquid videtur ſanaſſe, medicina eſt. Quod vult is animo f. ram, quod ars (quantum dicitis) inuenta pro vita, ſi diis placet, autoritatem formamque captat, vt longe ventura ſuprema proſpiciat? vt adeſſe fata denunciet; quæ nec timentur? & maxima ſcientiæ pars eſſe cœpit, ſanare non poſſe. Quiſquamne ab homine qui adhuc loquitur, ſpirat, in-

telligit, sic recedet, quemadmodum relinquitur exanime corpus? & ibi finem vitæ putabit. vbicunq; scientiæ subsliterit infirmitas? Si fragilitatem mortalitatis, incertosque velimus æstimare casus, tantundem periculi habet omnis æger. Iniquissimum est desperationes vocari, quoties remedium medicina non inuenit: & angustias siue artis, siue mentis humanæ, ad inuidiam referre fatorum. Nihil magis inter esse omnium puto, quam vt spes pro homine tam longa quam vita sit. Vnde putatis inuentos tardos funerum apparatus? Vnde quod exequias planctibus, ploratu, magnoque semper inquietamus vlulatu? quam quod facinus videtur credere tam facile vel morti? vidimus igitur frequenter ad vitam post conclamata suprema redeuntes.

Plerique conualuerunt negligentiæ bono, quosdam explicuit quicquid alios fortassis occiderit. Hos indulgentia temeritas, illos adiuuit desperationis audacia. Datur fortassis huic arti perspicere morbos, profutura meditari, sed vnde sciet quantum inter viscera, latentesque pectoris sinus, vnicuique animæ

natura concesserit? quam proprietatem spiritus, quam corpus acceperit? Non tam varia mortalibus forma, nec in vultibus nostris sedet tanta diuersitas, quanta latet in ipsis dissimilitudo vitalibus. Inenarrabile, indeprehensibile est quicquid nos elementorum varia compago formauit. Et prout in nos plura se rariora de terrenis seminibus cœlestibusque coierunt, ita vel duramur ratione, vel soluimur.]

Igitur & Fibullium clades eadem afflixerat, cui ad vulgarem morbum insolentia remedia quæsiuerunt. Etenim quos emulserat humores vena ad sinistrum renem pertinens, vis lienis ignea paulatim addensauerat; vt omnem renis latebram coctilis & acuminati lapidis rigiditate compleret. Nec acerbos dolores ante crudelis fœtus mouerat, quam exercitionis vehementia è naturali recessu exenteretur in vreteris angustias, nunquam hiatu tam immani sua sponte patentes. Tum autem sæuissimi mali atrocitas tam ventriculum superne exonerabat, quam alui libertatem

compreſſerat. Cumque ad veſicam carnę fibrę cum expellente natura pugnarent, illa in concepti flatus ſuſpicionem veniebant. Igitur medicamen infuſum eſt interius, & omnia in alium forte morbum valitura tentabantur.

At præcipue nefarius Ambrax oppugnabat adhuc vitalem Fibulli naturam, qui pręceptrices Medicorum chartulas, temere in eorum officinis diſſipatas, qui diluendis medicamentis præſunt, vigili ad ſcelus cura coegerat, ac in ſecretam deinde merſerat vrnam, paternæq; artis temptor medicinæ ſcientiam mentiebatur. Tum vt interrogabatur de morbo, munitis diligenter foribus, verſabat manu vaſculum, &, eſte, inquiebat, ſortes nuſquam Præneſtinæ, vel Lyciæ; ac præſcriptum, quod voluentem manum primum impleſſet, ægris etiam formidoloſius, quam eſt periculum ſontibus, ad pharmacorum magiſtros mandabat. Sic vt interdum nefarias manus atroci cæde pollueret, interdum fortunę temeritas pro prudenti conſilio eſſet.

Sed non litauerat Fibullius imprudentiæ. Nam Ambracis chartula dictauit oua ad ignem bis cocta, & veterrimi pisi eliquatam viscositatem. Præterea deambulationes raras iusserat, & oscitantem ignauiam molli thoro fouere. Quæ omnia nascentem in Fibullio lapidicinam ita durauerant, vt assidui cruciatus moriendi solatium quærerent; quod procul dubio soluisset hominem tantis malis, si aliquid gustasset de Callionis potu.

Non tenuit lachrymas mitissimus Percas, & miserrimam domum subleuauit gemituum societate. Sed mea sors erat durissima; quoniam certam opem negare Fibullio videbatur à mea humanitate alienum: & si remedium, quod in illum morbum strenuum noueram, tẽtassem, timebam Medicos, tum etiam Callionem, deniq; ne non haberetur fides ignoto. Tandem vicit misericordia nimis prudentes metus, propiusque ad stratum accedens, O vir, inquam, propensiore fortuna digne, quam nunc a-

uersa est, aude sanari. Da remedio quod affero triduum, & si ad votum meum sanitas non responderit, illius iracundiam meo capite depreceris. Mola vittisque victima mactari non abnuam. Exhoruit ad hæc dicta Percas, & de Callionis poculo ratus loqui, meo capiti, quod ego in succidaneum dabam, iustissima suspicione timebat. Sed Fibullius, quam non, inquit, hæc promissa noua sunt? Apage hæc secreta naturæ, & tot modo nati medici; vanam spem, ac inania verba, æternis miserorum cruciatibus, & indigna mercede vendentes. At ego, crede, inquam, domine, amplissima erit merces homini tanto bene fecisse, neque solum pro sua mihi valetudine, sed pro mea etiam salute laborandum est. Si fallo, nec possum declinare familiæ tuæ impetum, nec domini mei iram. Tum ille, postquam aliquantulum dubitauit, interrogato etiam de meis moribus Percante, vt acerbitas mali cogebat, tentare igitur remedium iussit, quod vel ipsius

cor-

corporis ruina morbi pertinaciam expugnaret.

Hac facta poteſtate in proximum montem ſecedo, illamque partem, quæ tum imminentis iugi vertice, tum virgultorum & fruticum humili faſtigio, maturius vmbrabatur, curioſa ſedulitate luſtro. Reſpiciebat locus Aquilonem, & vt erat decliuis, fluente paſſim per imbres humo aridis tantum lapidibus ſternebatur. Hic terna geniculatione Æſculapio votum feci, ſi ſanaretur Fibullius, barbam auream ex proximo reſtituturum peculio, qualem Dionyſius ademit. Crederes deorum etiam ſuffragia emi. Nam ſtatim notiſſimam herbam oculis meis ſubiecit Æſculapius, quæ calculo bellum indixit multo felicius, quam aut Veratrum amentiæ, aut vulneribus Aſcitos. Hęc lanceatis foliis, piloque ita breui, vt pene curioſos oculos fallat, crenis deniq; tenuibus, & ſæpe in obtuſam ſpeciem oras ſecantibus, mediocriter aſſurgit. Radix cauliſq; lignea, ſubtiliorem ſuccum in herbam transfe-

runt.



runt. Planta ad ingenium terræ nunc cubitalis, plerumque eminentior; insigne fastigium floribus ad examen turgentibus cingit, & Virgæ aureæ sortita est nomen, siue quoniam aureæ ac pene diuinæ virtutis est, siue quòd præstantis metalli colorem exigui floris venustas æmulatur. Cæterum contusum in renibus calculum in innoxium puluerem soluit. Non in latere, non in vesica dolor: adeo vt tam facili remedio pudeat calculum timuisse. Etenim in hyemem ſiccatur ęstiuis vmbris planta, & vbi grauitas lateris coeuntem morbum præsagit, aureus puluis ad drachmam mero delibutus sumitur, siue ouo leuissime cocto permixtus.

Sed mihi non erat ad manum tam preciosus puluis. Itaque recentem adhuc herbam iubeo Fibullium mandere. Nihil eo die visum est ad morbum fecisse medicamentum: sed biduo deinde repetitum, supra fidem est quam egregie refellerit acerbissimũ morbum: sordibus puluis abunde vesicam exone-

rabat, cœnoſumque ſaccatum pene ſanguinis imagine pingebat.

Iam ventriculo robur redierat, iam corpori toti vigor, & mihi ad perfectionem artis medicæ ſola deerat laurea, & empticij teſtimonij liber, cum à Callione redduntur Percanti literæ, ſe à Principe ad Labertum mitti, ea pompa quæ vtrumque deceret. Nos quam primum ſequeremur, vel ad Fibullium, ſi conſenſiſſet, laturi poculum, vel adornaturi magnificæ domus ſuperbiam. Tum à Fibullio epiſtolam ad Callionem impetro, qua ſe ingenti miraculo ſenatum confirmabat & quoniam ſemel Numina curam egiſſent ſuæ valetudinis, nolle ea offendere alieni auxilij mixtura. Igitur gratiam habere oblati medicaminis, & præſenti aliquãdo pleniores habiturum. Timebam enim, ne Callioni, ſi reſciſceret Fibullium mihi ſanitatem debere, videretur indignum, prælatas meas artes illi medicamini, cui commendando etiam me miſiſſet.

Me



insolens, vt sine flammeo, sine aqua, sine solenni igne, absque vittis denique & matronis verecundiam mulcentibus transeat in alienam familiam virgo: Hęc molestissimis cogitationibus scindebãt animum, & præterea quod cõsilio tempus non permittebatur. Erat etiam mensis Maius, quo tempore nuptiarum omen perhorrescebam.

[*Et fluctuantem animum ac trepidantem sapientum illa monosticha vmbrabant.*

Absque consensu parentum vxorem vt ducant liberi?

AEternare vis genus tuum? illigator nuptiis.

De Casina, certum est concedere homini nato nemini.

Filiam superbum est reddere, cui vitii dicas nihil.

Filias des honoratis, non opulentioribus.

Hac vtinam viri carere possemus molestia.

Haud locus illi in nuptiis, cui animus non est ad nuptias,

Ita vt decet, hilarem ac lubentem fac te in nati nuptiis.

Moribus dedecoroso filiam quis offerat?
Nemo filiæ moratur nuptias parens suæ.
Nihil à meretrice differt sæpe nupta fœmina.
Nil minus decet nupturam pulchrior quam pronuba.
Non nisi ex eo parit data est cui nuptum fœmina.
Nupta omnis meretrici est hostis, segregata vbi à viro est.

[*Quin & Cyri illud præclarum imitari animo subibat, de quo hæc Xenophon c.41. lib. 8, Cyropædia.*

Cumque se complexi salutassent, primum Cyrus Cyaxari dixit, domum & Curiam ei Babylone selectam esse: vt si etiam eo veniret, tanquam in sua diuertere posset. Deinde muneribus aliis permultis & insignibus eum donauit. Acceptis his Cyaxares filiam ad ipsum mittit, quæ ei coronam auream, & armillas, & torquem, & Medicam vestem, quam fieri potuit, pulcherrimam adferebat. Ac dum puella Cyrum coronaret, Cyaxares ait: Equidem hanc ipsam tibi, Cyre, vxorem trado, quæ mea est filia. Nam & pater tuus patris mei filiã vxorẽ duxit, qua tu natus es.

Atque

Atque hæc illa est, cui tu puer sæpenumero id temporis, quum apud nos esses, more nutricis blandiebare: quumque interrogabatur ab aliquo, cuinam esset nuptura: Cyro nupturam respondebat. Addo nomine dotis Mediam vniuersam: quum natam ex me subolem sexus virilis nullam habeam. Hæc erant Cyaxaris verba, cui respondens Cyrus: Equidem, ait, mi Cyaxaris, & genus laudo, & puellam, & munera. Sed in his tibi de sententia patris ac matris adsentiri volo. Et quamquam hæc ita Cyrus diceret, puella tamen omnia donabat, quæcumque grata Cyaxari futura putabat.]

Igitur ambiguo ascensu cogitabam sic hominem non lædere, vt neque me laqueis, si qui essent, impediendum producerem. Certe, inquam, domine, parum amas puellam, quam pro nuptiis in contubernium mittis. Quid amplius irata Omphale à Lydis exegit, quam vt seruis ingenuæ miscerentur? Itane? inquit, nescis splendidissimam libertatem in virtute positam esse? ac præterea iam

vt coniugio emancipari liberos, ita ſeruos in ſocietatem iuris Quiritium mitti? His dictis, erigebatur animus meus in ſpem optimæ ſortis, & iam ad nouaculam videbar libertus reſpicere, cum Fibullium credere cœpi ex magnatum more facere: ſi nolis vt per illum tibi bene ſit, conaturum vt ſit male. Nec amplius cunctatus, in vxorem conſentio, & præeunte religiones Fibullio, ac præterea oſculo bis terque repetito, firmauimus fidem: ac tum in publicum progredior, & ſponſus, &, quod neſciebam, pater. Iam ſeptimus dies illuxerat, quo tempore promiſeramus reditũ in ſpelũcam, ſed memoria nõ illuberi omiſimus ſuauiſſimũ ad mulieres iter: quoniam iam ad Labertum aduentabat Callion, & vrgebant aſſiduæ literæ, ne eius comitatum deficeremus; cum Percantis ſedulitatem, meq; prodigioſe ſanatum, inſtar ingentis familiæ reputaret. Itaque expedito progreſſi itinere, anteuenimus etiam Callionis curſus, & magnificam præmiſſi agminis tarditatem.

Præ-

Præludebat autem Labetrus oſtentationi ſuæ; & pretioſiſſimam ſupellectilem pandebat in Callionis aduentum. Machinæ per mœnia diſpoſitæ præbebant ſpeciem formidoloſi belli, & moniti ciues, vt ad tubam in armis eſſent, pacificos cultus militari diligentia inſtruxerant. Iuuentus prætcrea nobilis arceſſita ad Labertum, ſplendidis collucebat veſtibus, & exarata puellari manu pallia tota penſione redemerāt: vt quoties menſa in illum annum poſita eſſet, Callionis meminiſsēt. Sed maxime obſtupeſcebam ad principalis ædificii luxum. Thori vbique purpura ſtrati erant; ſtragula byſſo duplici inſignia notabātur, & aureis filis ſericum inter textum plus artificio debebat, quam naturæ.

Præterea cultu mirabili ſtabant diſpoſitæ per cubicula imagines, quæ mihi videbantur ſudantium vultus exprimere. Admiratus ego ingenioſam ſtatuarum nouitatem, propius acceſſi, & materiam audaci digito ſcrutatus ſum. Sed profundius quam vellem fragilis mate-

ria manum admisit. Perturbatus igitur imaginis cicatrice, fugæ consilium cepi, cum latus ad se applicuit sedulus minister, spumantemq; hordeaceo potu scyphum humanissime obtulit; cumque incerti formidine vultus variis coloribus æstuarent, putauit tantis conuentibus insuetum numerosæ domus frequentia perterreri. Itaque vanitatem timoris mei stultissima consolatione permulsit. Quid exhorrescis, hospes, inquit, ad regalem strepitum? quid existimas triumphum quotidianæ familiæ rationem? Scio nescire dominos vestros tam prope ad cœlum deosque accedere. Sed neque instar numinum peruulgauerunt orbes alios, neque tam syncera nobilitate incorruptam seriem ad ter mille annos seruant. Tu vero in aliud tempus stuporem differ, dum Laberti gentiles videas maiestatem nutantium ceruicum circumferre, velut ad numeros, & audaci ponderosæ orationis fiducia non tam ventos onerare, quam superare aurium fidem. Iam vero, si tumultum ebriæ do-

mus audiueris, putes ad Orgia Thyoneum descendisse. Crede mihi, natitabunt pauimenta hoc quem teneo liquore, & plus bibent thori mensæque, quam homines. Sed tu interim Laberti bonis vtere, & audaci manu frange statuæ butyraceæ auriculam. Præsto sum, qui saturatis suauissimum potionem affundam. Cum ego negarem deformari statuam oportere, vltro irrisit pinguissimus seruus, & ceruicem imaginis amputauit breui gladio, qui ad hoc ex cathenis argenteis de cingulo pendebat; &, nondum scis, inquit, septendecim esse cubilia, in quibus eiusmodi quatuor imagines ex marmore angulos adornãt, præcisis ceruicibus, quæ quotidie recentissimo butyro reparantur; tum vt populus in ientaculum destruxit extemporaneos vultus, frons subinde alia reponitur, & in diem septies ac decies renouatur delicatissimum munus. Nondum hora diei nona est, & iam centies quadraginta butyri põdo hoc palatium absumpsit. His Atriensis dictis audaciam

sum-

ſumpſeram deſtruendi formoſum artificium; cum turbatum ingens murmur perſonuit, & deſolatum palatium nihil ex tanto populo ſeruauit, niſi ſpem redituræ frequentiæ. Ego quoque tam cupidus inuiſor quam nouus regionis incola, deſpecto ientaculo in publicum deſcendi, & quanta pertinacia viam turba negabat, tanto impetu compoſitos in orbem lacertos rotabam; & per diſſectum inæqualitate itineris agmen immittebam robuſtiſſimum corpus. Deinde vt in obuium tumulum aſcendi, res expectatione gratior oculos meos delectauit. Erat enim Callion non mediocri ſtipatus manu, ad quem confluxerant ex ſacra Labetri domo, Cubicularius, Diſpenſator, Ædituus, & magnatum ingens numerus, qui ficta humanitate quem timebant venerabantur. Ego quoq; viam mihi cum Percante ad dominum feci, & ſtrato in ſupplicem cultum corpore, à tranſeunte veluti nutum extorſi; cum in elegantiſſimam perductus domum, & orationibus in atrio ad faſtidium longis

exceptus, ipſe naturali eloquentia viuidum ingenium prompſit. At ego tot nugis fatigatus, in Laberti domum redeo, potioribus miraculis paſturus curioſitatem ſedulæ mentis.

Erat autem in interiori palatio non tam hominum infrequentia, quam ſilentium: omnes veluti ſtupore contracti modeſtiſſimam vocem ad vicinas aures anxie tranſmittebant, & oculi non temere vagi in animum meum pietatis induxerant ſenſum. Igitur contemplatus vbique, num vel ara, vel deorum imagines religioſos homines mouerent: nihil aduertere potui præter tunicam purpuream, quæ ex tholo cathenis aureis pendebat, & capitis tegmen ſericis ad vtrumque latus nodis inſigne; quæ & geſtaſſe iunenem Labertum dicebatur, & in neſcio cuius ſenectutem aſſeruari.

Sed cum promouerem inconſultos gradus in ſecretiorem thalamum, corripuit laciniam veſtis vir, ſi bene coniiciebam ex colore & turgentibus labris, A-

fer,

fer, & quid in loco tam illustri facerem rogauit. Commotus ego strictorum in me oculorum maiestate; nihil habui quod opponerem tam vibrantibus telis, nisi Callionis potentiam: cuius ille nomine, tanquam fulmine prostratus, nihil, inquit, impedio. Tam gratiosa seruitus omnia huius familiæ secreta tibi facile prodet. Hac venia factus audacior in proximam sedem irrumpo, vbi etiam pauciores stabant, & plerique fusco vultu horribiles. Diceres illos regium Cyneæ senatum truci vultu fingere, ad cuius grauitatis imaginem Præfectus Prætorio nescio cuius gentis maxime formauerat vultum; qui trecentis nuper mulis aduenerat, vt doceret & fugere se scire, & his magis formidabilem esse qui à tergo, quam qui à fronte consisterent. Tum ego applicitus ad parietem, lustrare cœpi omnium incessus, & superbam ad fastidium frontem, cum subito meatus intercluduntur suauissimæ luci, & densa nox, fenestris curiose iunctis, totam domum insedit. Igi-

tur metuens ne me in custodiam publicam misissem, errantibus vestigiis repetere cubiculum cœpi, & in aditum, qua me confusa memoria ducebat, tendere: cum ex altera parte dimota sunt aduersę ianuæ claustra, diductisque peristromatis tot cereos decori adolescentes intulerunt, vt timerem ne tenellum aliquod funus producerent ad numerosissimum lumen. Sequebatur autem mulier aurea præsignis tunica, quæ sublimi crine turres prope in occipitio excitauerat, deinde vir, ipsa muliere breuior, ad cuius prolixum latus stabat. Tum quotquot in triclinio erant, libratis velut impetu corporibus longa veneratione iacuerunt. Ego autem altissime

Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.

Tantus enim pene cultus Iouem Iunonemue adesse persuaserat: sed ita vt mutatis honoribus, hæc annis, ille mensibus præsideret. Interim muli-

er ad menſam gradu ſatis compoſito. feſtinauit, meuſque deinde Iupiter inferiori lectulo conſedit. Sed inanis videbatur mihi pompa: nihil enim vltra panem in cœnam importatum cernebam, cum ingenua procidit aſſueta his officiis Nympha, & humentem mappam purgandis manibus dedit. Tum diutius ignorare non potui, quæ Numina delectarentur eiuſmodi ſacris, & hominem cui ſtabam proxime, interrogare cœpi de iis quos videbam. At ille, nec te, inquit, maieſtas loci, nec ceremoniæ, & ritus ab vltimo ducti Oceano monuerunt Labetri ſacrarium eſſe?

Adoraui ego Numina; ac deinde in diuerſam cœnaculi partem furtiuis greſſibus tendens, in ampliſſimam porticum deſcendi, quæ & ipſa ſolis facibus erat illuſtris. Circum autem elegantiſſimis imaginibus Labetri vitam ingenioſus pictor reddiderat. Quod vt intellexi ex verſibus, qui ad ſingulæ oram tabulæ legebantur, nolui tantæ fidei hiſtoriam ignorare. Nobilitatem Labe-

tri modeſtus artifex non altius erat exorſus, quam ab Æneæ erroribus. Nam & Mneſtheum effinxerat, & Capyn, & Anicium, qui contis infeſtas vndas retundebant. Ac vt Laberto prænunciaretur iam tum armati maris iniuria, ipſa tempeſtas prope ſorbebat maiores ſuos. Deinde conſulatus ac triumphi longa ſerie parietem adornabant. Sed hominem, vt eram, illiteratum non multum delectauit euoluere, quæ vetuſtas multis ſeculis obtexerat. Itaque ad recentia rudem oculum conuerti. Erat autem effictus Labertus in lucem prodiens quem Aquila excipiebat ea purpura, quæ eſt triplicis prærogatiua coronæ. Deinde adultus cognati Principis vicem magnifice ſuſtinebat:

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique ſacerdos.

Nec omiſerat artifex ſplendidi rationem coniugij. Stabat Labertus nouo inſignis cultu, ac in Veneris legem tranſiturus, Martis primum ſacris initiaue-

rat

rat latus, insolenti ferro graue. Deinde nubebat amplissimæ virgini dotis. Postremo erat effigies sedentis ad Ilium, & tot molientis machinas, quod destruxit sæuitia matris, & callidi hostis importuna sedulitas. Super hæc erat pictaDiscordia ex Auerno prorumpens, quæ ante aliquot lustra quietas Laberti gentes solicitauerat ad bellum & hi versus pene in vertice imaginis legebantur.

Est locus Ausonias inter notissimus vndas,
Euboici coluere viri, cui nomen Auerno
Dicitur. Hic diræ tristis reuerentia ripæ:
Hic campo crudelis honos. Nox impia pigros
Inspirat cœlo ventos, & nubila ducit,
Cuncta silent circum, si non in sibila crines
Ferales mouere deæ. Non gramina ripis,
Torpet iners tellus, Phœbumque æterna recentem

Nescit hyems mutare domos. Tantum improba late
Signa canis surgunt, spumaque infecta cruenta
Lurida Cerbereos scribunt Aconita timores.
Hoc, vt fama, specu, crudelis ianua functi
Orbis, & immensi panduntur limina fati.
Attoniti horrescunt manes, vmbræque recenti
Hac pœnas intrasse via, pars maxima pœnæ est.
Illac & gemino quondam Discordia curru
Extulit ad superos dubium caput. Omnia retro
Abstulit Astra timor, totusque expalluit æther
Ipsa velut tristes ducentia nubila giros:

Velauitque diem; terriſque excluſit Olympum.
Tela manu, geminaque faces, vultuque ſeuero
Ira rubet pallentque metus; mutatque fouetque
Conſilium, pugnatque ſua Diſcordia menti.
Quam circum rapiduſque furor, luctuſque, ſceluſque
Iræque inſidiaque volant. Sedet axe ſuperbo
Infelix bellum, motiſque accenditur armis.
Hæc ſimul vt noſtris crudelis conſtitit oris,
Erexitque genas, metuendaque tela ſonanti
Incuſſit clypeo, & rapidi ter voce flagelli
Increpuit pacem, ter protulit impia cædes;

Tum primum excitæ studia in Mauortia gentes,
Tum mortis properatus amor, tum semina belli,
Nondum bella tamen. Qualis certamine primo
Ventorum, minus aura ferit, seseque moueri
Indignãtur aquæ, nec promptus surgere Nereus
Addubitat paullum, & cunctantes consulit vndas,

[*Tum è regione de liuore præclara hæc opposita legebantur:*

Æ.rugo ferrum, corda liuor exedit.
Amicus esse non potes si es liuidus.
Ec quando non liuor bonis trux obstrepit.
Etiam ipse longa soluitur Liuor mora.
Guttur sibi ipse vtraque augit Liuor manu.
Haud Liuor vllus in virum cadit bonum.
Haud conserit liuor manum cum imbellibus.

Honesta

Honesta Liuor vt premat, non opprimet.
Incognitum Liuentia, quod vtile est.
Liuere debet nemo, certe non senex.
Liuet vere clam quisque adulatus palam.
Livor caret mente, auribus liuor caret.
Liuor pedisequus non est nisi felicium.
Liuor stuporque signa sunt animæ improbæ.
Liuor suis ipsum sese armis conficit.
Liuor suismet semper obstat commodis.
Liuor suomet ipse se ferro induit.
Liuor supremarum & comes virtutium est.
Liuoris exsors nulla vis sapientiæ est.
Liuoris expers ianua est Hyanthidum.
Longaque tandem soluitur liuor Mora.
Mordere liuor luce functos haud solet.
Multis malus liuor, sibi est deterrimus.
Nunquam addidit quid, cuncta liuor detrahit.
Nunquam choro comprenditur Liuor Deûm.
Nunquam Senatui interest L[illegible]uor Deûm.
Plus peregrino homini l[illegible]am ciui nocet.

Queis accubat liuor vita illis splendida est.
Solenne habet liuor, bonis vt obstrepat.
Suismet armis ipse liuor interit.
Tandemque se armis conficit livor suis.
Tandem supremo fine liuorem domes.
Virtutis atque gloria liuor comes.
Viuos fatigat, mortuos liuor colit.
Vix obstrepit liuor malis, bonos terit.]

[*Et altero latere* Odii *encomia, non minus notanda.*
Etiam similes sui odio habent vel pessimi.
Exosa sunt qua formidantur omnia.
Fit sapius causa odii amor flagrantior.
Grauiora sunt longinqui temporis odia.
Hoc vnum agas vt nemo iure te oderit.
Immunis odio? immunis es doloribus.
Iniquius quo odium est, eo est acerbius.
Nullum grauius supplicium est odio publico.
Nunquam bonos odisse quis potest bonus.
Odia absque damno qui moratur morus est.
Odia fere sunt proximorum acerrima.
Odiis regressus proximorum non patet,
Odisse non potest hominem, qui amat Deum.
Odisse, quam donare, constat vilius.

Odisse, res est omnium liberrima.
Odisse turpe est, dignum laude quem putas.
Odisse turpe est quidpiam quod adiuuat.
Odit superbos Numen humiles diligit.
Offendere quem quam odisse, pol honestius est.
Plerumque etiam odia acerba comprimit metus.
Priuata falsis odia criminibus latent.
Priuata fas remittere odia publico.
Professa produnt odia vindictæ locum:
Quem maxime odimus, ei obsequimur maxime.
Quicunque cunctos odit, odio est omnibus.]

Deinde describebatur tempestas quę se ab Occidente in illas terras infuderat, & quodammodo debili Discordiæ sociauerat manum. Quibus tabulis non indelectatus transeo in proximum thalamum, & deinde cum in peniciores intrarem recessus, obrui memoriam labyrinthis amplissimæ sedis. Nam & implicatæ in sese cameræ, & multiplici aditu aperta cubilia, auferebant viæ discrimi-

na redeunti per inanes porticus, & magnifica ſpatia nobiliſſimæ domus, donec in ſecretum delapſus cubiculum, notaui ad dexteram literis aureis ſcriptum: *Nemo in hanc ſedem iniuſſus admittitor.* Et ad leuem auro item fuſili: *Iiſdem ſanctus eſt pœnis ſacri thalami aditus, quibus Romanæ olim tranſitus foſſæ.* Quibus ego diligentiſſime perlectis, toto impetu foras proruere cœperam, cum ingens ſtrepitus timidiſſimas aures perculit. Erat enim muliebre agmen iam in cubilis gradibus, vt earum oculis meam fugam ſuffurari non poſſem. Igitur mutato conſilio in thalamum redeo, & cum ſtragula in terram prolixe defluerent, occului noxium caput ſub aurei receſſibus thori. Etiam noctis ſilentium ſtrepentem concurſantium tumultum ſuppreſſerat, cum mihi tum periculoſiſſimus carcer, tum inanis ventriculus ſomni copiam non facerent. Vnde remotiſſimos canum latratus audiebam, & tenuiſſimæ auræ murmur non fugiebat vigilis ſenſus ſubtilitatem. Tum mu-

lier, quę ſupra me in lectulo decubuerat, exigua tuſſi excitauit matronam in alio thoro iacentem, quæ ocyus ſurrexit in pedes, peruaſitque ad vicini oſtium cubiculi, ac bis, terque in flexi digiti articulo fores pulſans, in aliam ipſa deinde ſedem regreditur. Hic ego curioſitati tantum imperare non potui, vt ſtragula non dimouerem, quantum ad oculi libertatem ſatis erat. Neque multo poſt laxatis foribus intrauit mirabilis viri ſpecies, cuius ego cultu exterritus nihil abfuit quin proclamarem. Erat enim linea ſolum veſte inſtructus, manuque illa matulam argenteam ac facem, hac clauem auream, gladiumque geſtabat. His ille ornamentis inſignis acceſſit ad thorum, &, domina, inquit, ad imperium tuum veni. Sed ego extra me poſitus tam inſolentibus animaduerti oſtium, quod in inferiores gradus tendebat, reſeratum eſſe ab ea matrona quæ hominem aduocauerat, igitur vtendum opportunitate ratus, quam potui celerrime me ipſum de latebra eduxi, & ab vtroq; amantium

con-

conſpectu euaſi. At illi portentum rati, frigidis amplexibus, tãquam vino quod mullum ſuffocaſſet hauſto, omne robur amiſerant: cum ego ad Callionis fores elapſus, expectarem venturæ lucis ſolatium, gelidis interim poſtibus humidi aſtri malignitatem vt licebat declinans.

Cum deinde crepuſculo diſcuſſa nox ſpiſſior pallenti adhuc Sole rareſceret, aduenit is quem rei domeſticæ Labertus præfecerat, & ad Callionem iam in atrio ambulantem tendens, feſtinationem ſalutandi iis negotiis excuſauit, quæ totum diem Callionem tenerent. Ac deinde per varios ſermones in id lapſus, quod maxime quærebat, eſt, inquit, nobiliſſima porticus & omni antiquitatum referta genere, quam ex media Italia pene curribus iunctis ſublimem tranſtulit in has terras Labertus. Ea non eſt magis auro conſpicua, quam non adulteratis antiquitatis notis; neque ſtudioſius illam iuuenes perambulant, quam ſcholaſtici atque ſenes, qui omnia priſci moris veſtigia in argumen-

tum eruditæ diſputationis trahunt. Non erit indigna, niſi me fallit nouitas, eleganti tuo ingenio, & inuenies, quod non oculos magis quam ingenium delectet. Si non moleſtum eſt ire, & vicinia inuitat, & quoniam mea eſt cuſtodia, nō admittetur hodie aliquis præter amicos tuos Non abnuit Callion, non tam antiquitatis cupidus, quam captator communis auræ, & ſuper omnia illud ſpectans, vt literas non tam neſcire videretur, quam temnere.

Igitur in publicum egreſſus, Præfecti ductu in porticum venit, ad cuius magnificas fores ſtabat Apollo laurea redimitus corona, & nouem Muſæ, quælibet ſuo inſignis artificio. Mox, vt intrauimus, miræ ſpecies obiectæ ſunt oculis noſtris. Hercules, qualis primum ſeruierat Euriſtheo, ad interius limen ſtabat, velut ad cuſtodiam, nec procul infelix Laocoon violati equi ſoluebat Palladi pœnas, & eiuſdē Diuæ fulmen detrudebat de ſcopulo temerariam Aiacis fiduciam. ibi erat & aſpera velut naturali

ſcabi-

ſcabitudine rupes, & tam artificioſi fluctus, vt timuerim calceos inundare. Erat etiam antiquiſſimæ aræ ſpecies, quam aiebant Muſis cum Hercule fuiſſe communem. Deinde vlterius progreſſis hiſtoriam parum vulgatam oſtendit noſter index, quæ tabulis pene totum parietem impleuerat. Erat autem exercituum ſpecies acriter dimicātium, quorum furor etiam in imaginibus legebatur, ac deinde Solem obducebant caliginoſæ nubes, & fulminis violentia obruebat alterius partium ducem. Mox velut aperti campi vorago continuo flagrabat incendio, & qui modo victoria exultauerant, demittebant in terram languidos vultus, at ipſe Rex, inſtar Agamemnonis, Iphigeniam lugentis, triſtiſſimam frontem coccineo pallio obduxerat. Non temere omiſit Callion rogare noſtrum Ducem, quorum illæ imagines eſſent. Sed ille, non aliud, inquit, aſſeuerare poſſum, quam quod vetuſtiſſimi verſus produnt, qui tabellarum margines implent. Sed trun-

caca erat carminis ſeries, ac inprimis exordium hiſtoriæ vetuſtatis ſitus deleuerat. Nondum tamen aboleuerat veſtigia, quibus literas fuiſſe aureas deprehenderemus; nec tam vetuſtas exederat verſus, quanquam erant ſupra omnem fidem antiqui, quam muliebres faces, quibus quotidie parentabatur optimo poetæ, cum aliud eius monumentum ignoraretur. At Callion cum porticum oculis perluſtraſſet, eruditum hominem, cui Lucretio nomen, &, quod rarum eſt, ſimul in hac communi vita politum, ad ſe vocat, &, O mi, inquit, literarum antiſtes cur hos verſus non tollit ex hac porticu, & vetuſtati tantum ius in ingenia negat: nempe potiora ſunt Quiritum rudera, & inutiiis effoſſi æris inſcriptio delicatiſſimis carminibus præſtat. Hæc cum feſtiuius arridens dixiſſet, aditum fecit homini doctiſſimo diſputandi de literis, & peſtilenti nouitiorum genio, qui reuiuiſcerem doctrinam immani fato ſuſtulerunt. Itane, inquit, vir maxime; noſtra et-

iam

iam amentia scholarum muris contineri non potuit, sed loquaci rumore peruasit ad magnatum domos, & literatos omnes sub eodem crimine infamauit? absit hoc ab Apollinis familia, vt nemo Æsculapium norit. Quanquam hoc nec inuitus fateor: scholæ nostræ periculosis plenæ sunt scopulis, qui adolescentulorum industriam quotidie naufragio subuertunt. Et nisi multi genio meliori salutem deberent, etiam optimæ mentes incurrerent in illa vada, quæ insignis magistrorum imprudentia collegit. Tum Callion aperire tam funesti mali originem rogat, & authores perniciosissimæ sectæ, qui Musis, inquit, dedi ad omne supplicium debent. Mox ille, vt neminẽ artificio suo loqui piguit, fusissime cœpit exponere initia pestilentissimi morbi, qui literas pene ad mortis necessitatem adegit.

Primum, inquit, barbaria patrum nostrorum temporibus omnem Musarum suauitatem excluserat. Non illi modo humaniores literas neglexerant, sed et-

iam

iam cum seueriori doctrina non credebant delicato sermoni conuenire posse. Hinc peregrina dictio in Latinas inuecta scientias, & eloquentiæ indictum exilium, vt mirum sit, præstantia ingenia, quæ illis ætatibus floruerunt, optimorum lectione librorum temperare non potuisse hoc veluti odium in ingenuas politasque disciplinas. Nullibi carmen suis constabat partibus, nisi quod bis terque in eandem syllabam caderet, Orationum periodos vel absona verborum geminatio vel inepta subtilitas implebat, & si qua occurebant vel ex antiquis moribus, vel ex prisci æui memoria, rebusque gestis, ea nunc omittebant fœdissima ignoratione, nunc ad sui seculi rationem detorta fictitiis sensibus, corrumpebant. Hic Pyrrhum Achillis filium dicebat post expugnatum Ilium etiam Romana mœnia obsedisse: ille Scipionum & Censorinorum nomina ad dignitates referebat. Hic Falcidiam legem, quod instar falcis legata rescinderet, volebat appellatam.

Queis accubat liuor vita illis splendida est.
Solenne habet liuor, bonis vt obstrepat.
Suismet armis ipse liuor interit.
Tandemque se armis conficit livor suis.
Tandem supremo fine liuorem domes.
Virtutis atque gloriæ liuor comes.
Viuos fatigat, mortuos liuor colit.
Vix obstrepit liuor malis, bonos terit.]

[*Et altero latere* Odii *encomia, non minus notanda.*

Etiam similes sui odio habent vel pessimi.
Exosa sunt quæ formidantur omnia.
Fit sæpius causa odii amor flagrantior.
Grauiora sunt longinqui temporis odia.
Hoc vnum agas vt nemo iure te oderit.
Immunis odio? immunis es doloribus.
Iniquius quo odium est, eo est acerbius.
Nullum grauius supplicium est odio publico.
Nunquam bonos odisse quis potest bonus.
Odia absque damno qui moratur morus est.
Odia fere sunt proximorum acerrima.
Odiis regressus proximorum non patet,
Odisse non potest hominem, qui amat Deum.
Odisse, quam donare, constat vilius.

Odisse, res est omnium liberrima.
Odisse turpe est, dignum laude quem putas.
Odisse turpe est quidpiam quod adiuuat.
Odit superbos Numen humiles diligit.
Offendere quem quam odisse, pol honestius est.
Plerumque etiam odia acerba comprimit metus.
Priuata falsis odia criminibus latent.
Priuata fas remittere odia publico.
Professa produnt odia vindictæ locum:
Quem maxime odimus, ei obsequimur maxime.
Quicunque cunctos odit, odio est omnibus.]

Deinde describebatur tempestas quę se ab Occidente in illas terras infuderat, & quodammodo debili Discordiæ sociauerat manum. Quibus tabulis non indelectatus transeo in proximum thalamum, & deinde cum in penitiores intrarem recessus, obrui memoriam labyrinthis amplissimæ sedis. Nam & implicatæ in sese cameræ, & multiplici aditu aperta cubilia, auferebant viæ discrimi-

na redeunti per inanes porticus, & magnifica ſpatia nobiliſſimæ domus, donec in ſecretum delapſus cubiculum, notaui ad dexteram literis aureis ſcriptum: *Nemo in hanc ſedem iniuſſus admittitor.* Et ad leuem auro item fuſili: *Iiſdem ſanctus eſt pœnis ſacri thalami aditus, quibus Romanæ olim tranſitus foſſæ.* Quibus ego diligentiſſime perlectis, toto impetu foras proruere cœperam, cum ingens ſtrepitus timidiſſimas aures perculit. Erat enim muliebre agmen iam in cubilis gradibus, vt earum oculis meam fugam ſuffurari non poſſem. Igitur mutato conſilio in thalamum redeo, & cum ſtragula in terram prolixe defluerent, occului noxium caput ſub aurei receſſibus thori. Etiam noctis ſilentium ſtrepentem concurſantium tumultum ſuppreſſerat, cum mihi tum periculoſiſſimus carcer, tum inanis ventriculus ſomni copiam non facerent. Vnde remotiſſimos canum latratus audiebam, & tenuiſſimæ auræ murmur non fugiebat vigilis ſenſus ſubtilitatem. Tum mu-

lier, quę supra me in lectulo decubuerat, exigua tussi excitauit matronam in alio thoro iacentem, quæ ocyus surrexit in pedes, peruasitque ad vicini ostium cubiculi, ac bis, terque in flexi digiti articulo fores pulsans, in aliam ipsa deinde sedem regreditur. Hic ego curiositati tantum imperare non potui, vt stragula non dimouerem, quantum ad oculi libertatem satis erat. Neque multo post laxatis foribus intrauit mirabilis viri species, cuius ego cultu exterritus nihil abfuit quin proclamarem. Erat enim linea solum veste instructus, manuque illa matulam argenteam ac facem, hac clauem auream, gladiumque gestabat. His ille ornamentis insignis accessit ad thorum, &, domina, inquit, ad imperium tuum veni. Sed ego extra me positus tam insolentibus animaduerti ostium, quod in inferiores gradus tendebat, reseratum esse ab ea matrona quæ hominem aduocauerat, igitur vtendum opportunitate ratus, quam potui celerrime me ipsum de latebra eduxi, & ab vtroq; amantium

con-

conſpectu euaſi. At illi portentum rati, frigidis amplexibus, tãquam vino quod mullum ſuffocaſſet hauſto, omne robur amiſerant: cum ego ad Callionis fores elapſus, expectarem venturæ lucis ſolatium, gelidis interim poſtibus humidi aſtri malignitatem vt licebat declinans.

Cum deinde crepuſculo diſcuſſa nox ſpiſſior pallenti adhuc Sole rareſceret, aduenit is quem rei domeſticæ Labertus præfecerat, & ad Callionem iam in atrio ambulantem tendens, feſtinationem ſalutandi iis negotiis excuſauit, quæ totum diem Callionem tenerent. Ac deinde per varios ſermones in id lapſus, quod maxime quærebat, eſt, inquit, nobiliſſima porticus & omni antiquitatum referta genere, quam ex media Italia pene curribus iunctis ſublimem tranſtulit in has terras Labertus. Ea non eſt magis auro conſpicua, quam non adulteratis antiquitatis notis; neque ſtudioſius illam iuuenes perambulant, quam ſcholaſtici atque ſenes, qui omnia priſci moris veſtigia in argumen-

tum

tum eruditæ disputationis trahunt. Non erit indigna, nisi me fallit nouitas, eleganti tuo ingenio, & inuenies, quod non oculos magis quam ingenium delectet. Si non molestum est ire, & vicinia inuitat, & quoniam mea est custodia, nō admittetur hodie aliquis præter amicos tuos Non abnuit Callion, non tam antiquitatis cupidus, quam captator communis auræ, & super omnia illud spectans, vt literas non tam nescire videretur, quam temnere.

Igitur in publicum egressus, Præfecti ductu in porticum venit, ad cuius magnificas fores stabat Apollo laurea redimitus corona, & nouem Musæ, quælibet suo insignis artificio. Mox, vt intrauimus, miræ species obiectæ sunt oculis nostris. Hercules, qualis primum seruierat Euristheo, ad interius limen stabat, velut ad custodiam, nec procul infelix Laocoon violati equi soluebat Palladi pœnas, & eiusdē Diuæ fulmen detrudebat de scopulo temerariam Aiacis fiduciam. ibi erat & aspera velut naturali

ſcabitudine rupes, & tam artificioſi fluctus, vt timuerim calceos inundare. Erat etiam antiquiſſimæ aræ ſpecies, quam aiebant Muſis cum Hercule fuiſſe communem. Deinde vlterius progreſſis hiſtoriam parum vulgatam oſtendit noſter index, quæ tabulis pene totum parietem impleuerat. Erat autem exercituum ſpecies acriter dimicantium, quorum furor etiam in imaginibus legebatur, ac deinde Solem obducebant caliginoſæ nubes, & fulminis violentia obruebat alterius partium ducem. Mox velut aperti campi vorago continuo flagrabat incendio, & qui modo victoria exultauerant, demittebant in terram languidos vultus, at ipſe Rex, inſtar Agamemnonis, Iphigeniam lugentis, triſtiſſimam frontem coccineo pallio obduxerat. Non temere omiſit Callion rogare noſtrum Ducem, quorum illæ imagines eſſent. Sed ille, non aliud, inquit, aſſeuerare poſſum, quam quod vetuſtiſſimi verſus produnt, qui tabellarum margines implent. Sed trun-

cata erat carminis ſeries, ac inprimis exordium hiſtoriæ vetuſtatis ſitus deleuerat. Nondum tamen aboleuerat veſtigia, quibus literas fuiſſe aureas deprehenderemus; nec tam vetuſtas exederat verſus, quanquam erant ſupra omnem fidem antiqui, quam muliebres faces, quibus quotidie parentabatur optimo poetæ, cum aliud eius monumentum ignoraretur. At Callion cum porticum oculis perluſtraſſet, eruditum hominem, cui Lucretio nomen, &, quod rarum eſt, ſimul in hac communi vita politum, ad ſe vocat, &, O mi, inquit, literarum antiſtes cur hos verſus non tollit ex hac porticu, & vetuſtati tantum ius in ingenia negat: nempe potiora ſunt Quiritum rudera, & inutilis effoſſi æris inſcriptio delicatiſſimis carminibus præſtat. Hæc cum feſtiuius arridens dixiſſet, aditum fecit homini doctiſſimo diſputandi de literis, & peſtilenti nouitiorum genio, qui reuiuiſcetem doctrinam immani fato ſuſtulerunt. Itane, inquit, vir maxime; noſtra et-

iam

iam cum seueriori doctrina non credebant delicato sermoni conuenire posse. Hinc peregrina dictio in Latinas inuecta scientias, & eloquentiæ indictum exilium, vt mirum sit, præstantia ingenia, quæ illis ætatibus floruerunt, optimorum lectione librorum temperare non potuisse hoc veluti odium in ingenuas politasque disciplinas. Nullibi carmen suis constabat partibus, nisi quod bis terque in eandem syllabam caderet, Orationum periodos vel absona verborum geminatio vel inepta subtilitas implebat, & si qua occurebant vel ex antiquis moribus, vel ex prisci æui memoria, rebusque gestis, ea nunc omittebant fœdissima ignoratione, nunc ad sui seculi rationem detorta fictitiis sensibus, corrumpebant. Hic Pyrrhum Achillis filium dicebat post expugnatum Ilium etiam Romana mœnia obsedisse: ille Scipionum & Censorinorum nomina ad dignitates referebat. Hic Falcidiam legem, quod instar falcis legata rescinderet, volebat appellatam.

Alius Gentiles, quia nullis cerenoniis vero numini sacri, sic (aiebat) remanent, vt sint geniti; aut Æthnicos dici, quia per Æthnam montem ferunt aditum patere ad subterranea supplicia, stultissima asseueratione scribebat. Nullus erat, quem vitia temporum non traherent, vt Ephesi natos diceres, vbi oportuit neminem excellere. Pueri his magistris vsi nihil aliud discebant, quam non sapere. Nam & Græcis elementis, ne quidem tenuiter imbuti, vt verborum monstra, quæ noua Philosophia inuenit, capere poterant, statim ad insanas & æternas argumentationes traducti, omittebant omnem doctæ eloquentiæ curam.

Sed non potuit diutius teneri solertia humani ingenij, nouandis rebus nata. Itaque initio huius seculi emerserunt homines aliquot ex tantę noctis immanitate, pene non alio quam naturæ suæ auspicio, statimque authores aliis extiterunt, vt fœdissimam imperitiam è Republ. literaria tollerent. Verum ingen-

tium malorum remedia nunquam suis periculis carent. Orbem, qui suo malo obdormiuerat, ipsa medicina pene obruit. Etenim homines supra cæteros docti. quamuis erant huiusmodi, vt multa non viderent, velut in ipso scientiæ orientis diluculo, tamen ambitione cœci, nominis famam petierunt ab indignis & inanibus rebus. Igitur hi deridenda cæterorum barbarie volumina implebant, illi nouandis omnibus exercebant impigras mentes, & vt aliquid sapuisse dicerentur, euertebant scientiarum partes, quæcunque rudi patrum seculo placuissent; adeo vt disciplinarum ratio diuersissimas in partes distincta sit, & vbique male sentientium sectas infelix seculi genius induxerit.

[*Omnes etenim homines qui pertinere ad humani officii culturam existimarunt, vt aliquod linguarū opus studio ingeniorum excuderent, id speciali cura elaborarunt, vt siue vtiles res ac probas, siue inutiles atque improbas stylo texerent, seriem tantum rerum nitore verborum illustrarent causisque*

ipsis quas loqui vellent, loquendo lucē accenderent. Itaque ad hanc se partem ex vtroque genere literarum scriptores nundia'ium negotiorum plurimi contulerunt, nō satis considerantes, quam probabilibus materiis se impenderent, dummodo ea quaecunque dicerent, aut compto & blando carmine carerent, aut lucente oratione narrarent. Omnes enim in scriptis suis causas tantum egerunt suas, propriis magis laudibus quam aliorum vtilitatibus consulentes, non id facere annisi sunt, vt salubres & salutiferi, sed vt scholastici ac diserti haberentur. itaque scripta eorū aut vanitate sunt tumida, aut falsitate infamia, aut verborum fœditatibus sordida, aut rerum obscœnitate vitiosa; vt vere, cum ingeniorum tantum laudem aucupantes tam indignis rebus curam impenderent, non tam illustrasse mihi ipsa ingenia, quam damnasse videantur.]

Successit huic malo crudelior pestis, & luctuosa ingeniorum funera edidit. Iacebant passim libri squalidissimo situ, & ipse puluis meliorem authorum partem exederat. Itaq; necessarium vi-

debatur, vt homines docti tollerent maculas, quas vel librarii, vel tempora insuferant, tum diuersorum voluminum lectione, tum antiquitatis peritia, etiam interdum diuinando. Quis deinde ad hoc studium se non accinxit? quis prouinciam, quam permitti non oportuit, nisi summa authoritate viris, priuatis auspiciis non suscepit? Quis se in virum non euasisse credit, quis non æternitati litasse, cui stylus hæc vocabula permiserit, *deleo, interpungo, corrigo, manuscripti sic habent, hoc ab antiquo ritu*, & cætera ineptissimæ ambitionis verba? Cum tamen hoc etiã, qui plus in literis sapiunt, sæpe iustissimus æmulorum risus suspenderit. Quam inuisis moribus, qui vbique pene *inuisitata* in *insusitata* permutat, qui non fert volumina, si curari, & non durari vestes dicant; *Nam ducum taceo duces.* Quorum ille ad Prætorem curare, non currere, legit; alter, quamuis profundissimæ doctrinæ, tamen non credidit puteal dici. Hic est ille scopulus, quem vel curiosi homines, vel incauti, raro illæsis

H nauibus

nauibus prætermittunt; ſeu mauis, hoc peſtiferum ſydus illuxit, quo ſurgentes literæ nondũ adulta ſtirpe exaruerunt. Etenim ingenia vbi ſeſe applicuerunt huic ſtudio, ſpe maxima Rempublicam fraudant, & inutili labore pallida, neq; veræ vnquam gloriæ, neque ſuauioris literaturæ guſtum ſentiunt. O miſeram iuuentutem, quæ vanis exercita laboribus, id tantum apud Doctores conſequeris, vt ne quidem latine dicentem intelligat ſenex Numa, niſi diuinantis Egerię vaticinia conſulat. Nam qui antiquitatem è tenebris eruunt, ipſi tantis tenebris onerant ſtultiſſimã orationem, vt id vnum quæſiiſſe videantur, Pithia vate, aut Carmẽta, obſcurius loqui. Neque aliud iã in ſcholis detonant; quamnum in vrbe iuſtitia vel extra pomœria humanitas, olim carnificibus habitationes decerneret? Quis meretriciis titulis color, quæ fornicibus anguſtiæ eſſent? Vbi ſacrum vrinarium, quo Patres conſcripti veſicam exonerarent? denique, quot fibulis ſtaret ve-

ſtis, quot gradibus tutelæ conſcenderent? In his nugis non modo ipſi conſumunt optimos dies, ſed commiſſos etiam induſtriæ ſuæ adoleſcentes verſant. Quis ad politum verſum auditorem accendit? Quis ſæpius orationem acrioris animi impetu exaratam repoſcit, quam incertum, & inutilem Italiæ morem, tam extra viuendi conſuetudinem hodie poſitum, quam à loquendi vſu ac ratione ſemotum? Etenim ſi delicati ſermonis formula ſit tenera & auribus apta oratio, ipſis legentibus occurrit, id faciunt quod ægri, qui corruptis ſenſibus epularum ſuauitatem auerſantur. Quæ antiqua, quæ ſolis tenebris nobilia, miſerrimis laboribus colligunt; quæ ſubinde redeunt in animum, ac veluti ſtylum trahunt, cum ipſi ad ſcribendi ſtudium efferuntur. Iraſci etiam ſuperbe nugatores audeant, & qui ſcriptiones eorum vix capiunt, è doctis eximere: quaſi vitio legētium fiat, vt qui Marones, Statios, Lucanos capiunt, ii ex eorū chartis nihil amplius, quam ex diſ-

ſipatis Sibyllæ foliis diſcant.

At vero tam ſubtiles priſci æui indagatores, vt quotidianum vitę ac iudiciorum morem, dii boni, ignorant! vt in hominum exercitatorum cœtu fœde obmuteſcunt, qui cum ſolis priſcis & ſapere didicerunt, & loqui. Sed enim, inquiunt, qui hæc neſciet, hærebit vbique in meliorum authorum ſcriptis, vbique illi oborientur tenebrę, velut erranti per ignotam regionem. Ego vero nihil damno curioſum ſtudium, ac quantum vultis vtile, dummodo hæc ſobrie in altioris vſum ſcientiæ aſſumas, neque te ſenium in ſternenda ad ſcientias via occupet.

Certe ſi in authorum ſcriptis, per tot diffuſis volumina, eſt aliquid ignorandum, malo pauculos mores negligere, & verba pene cum hoc orbe nata: quam vt conſumpto in iis ſæculo amœniſſimos vel ſermonis vel doctrinæ fontes omittam.

Sed ne omnes pro Catilina ſteterint, & Conſuli Tullio bellum indixerint,

reperti ſunt, qui contrariis machinis Rempublicam noſtram euertant. Iis nihil purum aut ſyncerum, quod ex Cicerone non hauſerint, nulla periodus proba, quæ numeroſa verboſitate non tumeat; digni medius fidius homines, qui ſemper in Tulliano viuant. Hi vt ſunt plerumque eruditionis reconditæ expertes, vel lectione Poetarum, quos tamen interius nunquam guſtant, auditores detinent; vel immanibus Rhetoricorum præceptis obruunt, quibus nec vti iuuentus poſſit, nec ipſe vnquã Tullius magis ad vſum inuenit, quam ad celebritatem nominis, ac poſterorum famam. Stylus plerumque in hominibus illis non grauis ac neruoſus, ſed vanus & inanis? nullum in verbis iudicium; nullum in oratione acumen. Æternæ figuræ altis & turgidis dictionibus nixæ. Nunquã ſimplex oratio, & verba in ſuum ſenſum eleganter fluentia, velut errarent in montibus, ab elata Metaphora in aliam ſaltitant. Vbiq; fulmini, tempeſtati, fluctibus inueniunt locum. Pi-

cas diceres, quibus planum veſtigium Natura interdixit: ita nunquam ſuis & æqualibus verbis loquentes ad diuerſa dictionum prodigia volitant, quo illos inſtitutio, & inopis ingenii ſterilitas cogit.

Quid igitur quæritis, quibus præceptis imbui adoleſcentes velim? Non ſum tanti, vt Apollinis familia ad præſcriptum meum viuat. Sed tamen ſi fidei meæ committeretur diſciplina tyronum, primum prætextatæ pueritiæ non pateret virilis noſter campus: deinde delectum ingeniorum haberem, vt, quoniam non omnibus eandem vim natura inſeuit, quam cuique partem ſtudioſus impetus deligeret; ad hanc non hortarer modo propenſam iuuentutem, ſed curioſe adigerem: Pueros, inquam, non admitterem ad ſeria, neque miſceri nucum putamina paterer cum laureis baccis. Quoniam intempeſtiua in ea ætate ſtudia creſcentes primum vires, & vixdum coagulati cerebri robur ſoluunt, vt iuuentus deinde prouectior

nec

nec integram valetudinem ad literas afferat, nec viuidi acumen ingenii præmaturis olim laboribus vigiliisque retusum. Nam quos ante ætatem viros cernimus, & scientias ad suorum mensium calculum numerantes, ii vel cito mature occidāt necesse est, vel vt in eam stultitiam, quam infantes declinarunt, senes incurrant. Sed vt illis, qui ad fidicinam designantur, iam in ipsis cunis datur plectrum, & laceratę citharæ nondum prorsus soluta compages: vt infantibus ipsa lux non sit antiquior, quam paternæ artis rudimentum: ita nec pueris, quos parentum vota sacrario literarum destinant, iam à prima ætate chartas ac libros aufero, ea tamen cautione, vt ætatulæ tam debili consentanea discant, ne vrgeantur seuera magistrorum castigatione, vel ipsi sua sponte ad studia incitati noxiæ temeritati permittantur. Nam & alternis iocis, & omni exercitatione, quæ illos annos capit, refrænandus est nocentissimus cursus; ac omnia maxime præmiorum

fuco tegenda ſunt, ne initiorum acerbitas deſiccata ingenia deterreat. Inprimis hiſtoriæ inſerantur etiam dormientium manibus, & quoniam vel inanes fabulæ infantium animos capiunt, aſſidue imbuantur monimentis antiqui ſeculi; vt memoria, quæ in illis eſt conſtantiſſima, creſcentibus ſubinde annis pulcherrimam rerum variarum cognitionem emergenti iudicio tradat.

His elementis inſtructus adoleſcens, vt primum ingrata Romanæ linguæ initia euaſit, ſtatim ad amœnitatem Ciceronis traducendus eſt. Selecti quotidie varietatem ſermonis præceptorib. reddat; ſtylum vix dimittat è manibus, & ſcribendi aſſiduitate rem omnium difficillimam in mitiorem cog t naturam veluti feras cernimus ſæpius manu plauſas ſaltus & nemora dediſcere. Mox in omnes paſſim authores euagetur licentius liberum ſtudium: nec Petronium, Liuium, Salluſtium, Cæſarem, Terentium, Curtium, pudeat miſcuiſſe Ciceronianæ dictioni. Tum etiã Plautus, Var-

ro, Lucretius, & eiuſmodi doctrina notabiles aſſumantur; & è nouis hominib. ii tantum, qui hos antiquitatis principes Pallade magis propitia coluerunt. Nec difficilis eſt delectus. Vix quatuor hoc ſeculo ſupra inuidiam ſcripſere; quos adoleſcenti ipſa facile fama, & omnium commendatio prodet.

Sed expectatis fortaſſe, vt Poetam inſtruam. Næ ego tam male de iuuentute mereri nolo, vt illis ſternam iter ad immane præcipitium, & notabilem multorum funere voraginem. Pauci enim hoc Parnaſſi iter ingreſſi ſunt, qui ex alterutro montis vertice non deciderent, nunc in humillimos contemptus, & fœdam amẽtiæ famã. [Multos enim, ô iuuenes, carmen decepit; nam vt quiſque verſum pedibus inſtruxit, ſenſumq; interiorem verborum ambitu intexuit, putauit ſe continuo in Heliconem veniſſe: ſic forenſibus miniſteriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem, tanquam ad portum faciliorem refugerunt, credentes facilius poema

exstrui posse, quam controuersiam sententiolis vibrantibus pictam. Cæterum neque generosior spiritus vanitatem amat, neque concipere aut edere partum mens potest, nisi ingenti flumine literarum inundata. Effugiendum est ab omni verborũ, vt ita dicam, vilitate: & sumendæ voces à plebe summotæ, vt fiat, Odi profanum vulgus, & arceo. Præterea curandum est, ne sententię emineant extra corpus rationis expressæ, sed intecto vestibus colore niteant. Homerus testis & Lyrici, Romanusq; Virgilius, & Horatii curiosa felicitas. Cęteri enim aut non viderunt viã, qua iretur ad carmen, aut visum timuerunt calcare. Ecce! belli ciuilis ingẽs opus quisquis attigerit, nisi plenus literis, sub onere labetur. Nõ n. res gestæ versibus cõprehendendæ sunt, quod lõge melius Historici faciunt, sed per ambages, Deorumq; ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus: vt potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosæ orationis sub testibus fides.]

Parcite, Pierides, non vos lacesso; nec vestra iniuria tam miseri casus affligunt inconsultos. Sibi quisque debet hanc calamitatem, & dum ab Apolline arcessi credit in præsagum montem, non aduertit pro Deo vesanam esse libidinem, & imprudentis adolescentiæ æstum, quem intemperanter exaudit. Etenim quoniam hoc est inutile studium, & ad solam delicati animi voluptatem faciens, non potest non explodi è Doctorum cœtibus, nisi quando artifici elegantia artis vanitatem excusat. Scilicet velut extrema conuiuia bellariorum apposit u luxuriant, & suauiora condimenta reparant famem absumptam, ita solidioribus scientiis saturati non capientur hoc quantum vultis diuino Poetarum cibo, nisi gustum iam languentem excellens voluptas excitet. Vt non tam artem mihi mutasse videatur, quam artis materiam, is qui è culina prodiens primus Olympica versib⁹ extulit. Certe si quis in Parnassi verticem incolumis ascendit, non nego,

quin vt meditullium terrarum obtinet, ita & illuſtri fama cognoſcatur ab omnibus gentibus, humanitate aliqua politis. Sed quam hoc rarum fuit, non dicam in vna ætate aut populo, verum in omni memoria atque gente: Mihi profectò nunquam tot Poetas dabitis, quot ſeculis Latinitas floruit. Etenim tantis difficultatibus horret hæc ſemita, vt faciliore ſtudio vel Iuriſprudentiam, vel Eloquentiam demereatur adoleſcẽs, quam Nympham verſuum præſidem; quæ vt ſit fauentiſſima, plerumq; gloriam æterna mendicitate vendit.

Verum in hac parte præceptores peccant, qui velut æquali ſtudio vtrumque campum adoleſcentibus proponunt, vt & inſudent verſibus, & ſolutiores periodos libero ſpiritu quadrent. Nimirum quoniam diuerſis motibus agitur animus, vel ab Eloquentia inſpiratus, vel à Poeſi, non eſt poſſibile, tantam fieri mentis immutationem, vt ſtatim abeat in diuerſos habitus, & ad voluntatis nutum diſſiimilimis caloribus æ-

ſtuet.

ſtuet. Nam in inſaniam verſuum aptanti ſtrictæ mentis acie, deponendus eſt prius Orator, & cum ſtudio exuendus habitus eloquentiæ, quem aliquot paulo ante vigiliis emeras: & rurſus omittenda eſt Cithara ingredienti Rhetoricam, & ſedandus tanto labore furor, quanto quæſitus ac expreſſus præſagientem animam afflauerat. Sic in vtroq; ſtudio ſemper nouus, ſemp hoſpes, & ab vtroq; aſſiduus tranſfuga, non iam procos inſtar Ithacæ mulieris orſa deſtructaq; in ſingulos dies tela, ſed fortunam tuam geniumq; fraudabis. Quis maieſtatem eloquentiæ tam magnifice ſuſtinuit, quis porro ineptior Poeta, aut quis aſperius ſyllabas in numeros coegit? Nec meliori genio ad forum vſus Virgilius, quam Tullius ad carmen; inueniſſet mehercule, qui poſtremæ voluntati paruiſſent, officioſos amicos, niſi Æneam ſuum non magis nauib. aut caſtris, quam verborum numeris includens, Romana pene ad lyram mœnia nouus Amphion condidiſſet.

Igitur duo sunt tantum, quæ Poetarum exilium à scholis, quæ affingo, deprecentur. Primum, vt animus insolentium auidus aliquando recedat à quotidiano pastu, aut veluti in Hybla, aut vernantis Ætnæ vallibus; mirabili flosculorum varietate fatigatos spiritus leuet. Deinde, vt Poetæ, qui quam rari sunt, tam magnis viguerunt ingeniis, attollant sensuum subtilitatem, & acuminibus innumeris, tanquam telorum impetu, legentem sic feriant, vt excitatus animus se sentiat.

Sed ne illos, qui primi dicendi artifices fuerunt, omittam, nolo squalere Græciam situ Barbaro, vel ad pompam subornari animum aliquot sententiarum iactatione atque fuco, qui in huius calliditate seculi, nisi rudibus ac imperitis hominibus non imponet. Sed artes illæ hominum, qui non præclarius vixere quam locuti sunt, tum informabunt ad eloquentiam animum mille orationum flosculis, tum abun-

dantem rerum copiam ſuggerent, ne ſola verborum maieſtate fulta oratio, tanquam deſtitutum neruis corpus, concidat.

Verum his querelis præceptiſq; fortaſſis erat tempus paulo ſupra hanc ætatem. Nũc inani ſpe fallo iuſtiſſimos metus, & veluti nondum fractis tabulis de literarum ſalute diſputo. Quid autem apud vos loqui timeam, qui certe non eſtis Muſarum hæredes? Iam in extremis ſcientiæ agunt, & cogitant de diſceſſu. Ætas iam grandior verendæ illarum ſenectuti terminos ſcripſit. Etenim hoc omni ſeculo, quamuis per diuerſas iniurias, floruerunt diſciplinæ, & per omnes veluti ætates actæ proceſſerunt in vltimam ſenectutem. Habent enim ſuos dies non literæ tantum, ſed & mores, & linguæ, definiuntur ſuis temporibus, & quod eſt amplius, regna ipſa & ciuitates non effugiunt mortalitatem. Nihil detrahendum eſt ſummorum virorum gloriæ. Quamquam plerumque in docendo peccatum ſit, tamen extite-

runt

runt hac ætate passim clarissima lumina, quæ omnem scientiarum partē exactissime eruerūt de miserrima nocte. Nunc illa ingeniorum fertilitas paulatim excidit, neque vlla virgulta surgunt, quæ decidentium truncorum maiestatem sustineant. Quis ad Themidem familiarius admittitur? cui iuniorum Sophia, cui cœlestis scientia, cui ipsa eloquentia, cui Poesis, spes suas demandauit? Qui literarum famam pondusque sustinent, præter pauculos senes, qui velut familiæ extremi Musarum nomina atque insignia in tumulos trahent? Nihil erat, cur tam modo acriter auocarem à Poesi iuuentutem, iam satis humilis nihil spirat excelsum. Ac præterea nec laboriosæ arti honos est, nec vlli prope genti cum vlla scientia, ac præcipue cum Parnasso, conuenit. Nam & callida Ausoniæ gentis crudelitas ex suis finibus exterminauit Apollinem, & stylus non tam rubigine maculosus, quam sanguine, sæuius hostes perfodit, quam omnis veterum oratorum acerbitas. Ne-

que Ibericæ dictionis tardum pondus, neque dura Germanorum asperitas Musis apud se locum fecit. Tentauerant etiam Sauromatas & Polonos; sed in ipso limine tenellulę virgines secularibus niuibus inhorruerunt. Nam quid de Gallia dicam, quæ optimum Poetarum vix tenui puluere semisepultũ non erubescit; quæ inter tot substructionum minas, & vastissimas templorum moles, nõ magis suo quum Apollinis alumno rudem lapidem negat.

Cum hæc tristissima voce pronunciasset, cœpit intueri, num aliquis in Musarum funere lachrymas mitteret. Cumque aliquantum, longæ orationis tædio frontes nostræ horruissent, existimauit tanta declamandi peritia moueri. Cæterum & ipse, inquit, aliquando Musis grande votum feci, si aspirassent tendenti ad carminis grauitatem, mihique necessitatem attulerunt sua benignitate exsoluendi promissi. Nam plantarum ingenia & virtutes exorsus sum, stylo, nisi me fallebant amicorum suffra-

gia, vt non altiſſimo, ita ad materiam non inepta; & aliquantum æquabili. Hic nonnihil cunctatus, vt rogaretur aliquos verſus expromere; cum nemo id faceret, ipſe ſua ſpōte poema in hunc modum recitauit.

Germina, quæ late, primum ſurgentibus aruis,
Vndantem veſtitis humum, cum pallida cælo
Cedit hyems, feſſæque inſpirant mollius auræ,
Vos mihi, quæ primis tellus alimenta miniſtret
Imbribus, vnde nouo lætentur iugera vere,
Dicite, quæ ſuccis felicibus augeat annos,
Quæ fera tartareas virtus animauerit herbas.
Vos mihi naturæ penetralia pandite veſtra,
Et quo quiſque modo diuumque, hominumque recentes

In-

Induerit truncos; quis origine truncus ab ipsa
Mitib. æternas repararit solib. umbras.
Sic vos humenti sic aureus euocet aura
Dux Amphionidum: nec vos aut Seirius vrat,
Aut Nothus, & fragiles rumpant mala nubila culmos.
Viderat æthereos late gemmantib. ignes
Collucere polis, & toto sydera mundo,
Alma parens tellus, tum quæ curuamina flectit.
Solis iter, totum distinguens circulus annum,
Tum quæ fixa sibi posuere cubilia stellæ,
Et quæ multiplici properant, vnaque recedunt
Astra via, semperque suis sibi cursibus obstant.
Ipsa sinus vacuos & inerti squalida cultu
Brachia protendens, nudosque ad sydera vultus;

exſtrui poſſe, quam controuerſiam ſententiolis vibrantibus pictam. Cæterum neque generoſior ſpiritus vanitatem amat, neque concipere aut edere partum mens poteſt, niſi ingenti flumine literarum inundata. Effugiendum eſt ab omni verborũ, vt ita dicam, vilitate: & ſumendæ voces à plebe ſummotæ, vt fiat, Odi profanum vulgus, & arceo. Præterea curandum eſt, ne ſententię emineant extra corpus rationis expreſſæ, ſed intecto veſtibus colore niteant. Homerus teſtis & Lyrici, Romanuſq; Virgilius, & Horatii curioſa felicitas. Cęteri enim aut non viderunt viã, qua iretur ad carmen, aut viſum timuerunt calcare. Ecce! belli ciuilis ingẽs opus quiſquis attigerit, niſi plenus literis, ſub onere labetur. Nõ n. res geſtæ verſibus cõprehendendæ ſunt, quod lõge melius Hiſtorici faciunt, ſed per ambages, Deorumq; miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum præcipitandus eſt liber ſpiritus: vt potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religioſæ orationis ſub teſtibus fides.]

Parci-

Parcite, Pierides, non vos laceſſo; nec veſtra iniuria tam miſeri caſus affligunt inconſultos. Sibi quiſque debet hanc calamitatem, & dum ab Apolline arceſſi credit in præſagum montem, non aduertit pro Deo veſanam eſſe libidinem, & imprudentis adoleſcentiæ æſtum, quem intemperanter exaudit. Etenim quoniam hoc eſt inutile ſtudium, & ad ſolam delicati animi voluptatem faciens, non poteſt non explodi è Doctorum cœtibus, niſi quando artifici elegantia artis vanitatem excuſat. Scilicet velut extrema conuiuia bellariorum appoſitu luxuriant, & ſuauiora condimenta reparant famem abſumptam, ita ſolidioribus ſcientiis ſaturati non capientur hoc quantum vultis diuino Poetarum cibo, niſi guſtum iam languentem excellens voluptas excitet. Vt non tam artem mihi mutaſſe videatur, quam artis materiam, is qui è culina prodiens primus Olympica verſib⁹ extulit. Certe ſi quis in Parnaſſi verticem incolumis aſcendit, non nego,

quin

quin vt meditullium terrarum obtinet, ita & illuſtri fama cognoſcatur ab omnibus gentibus, humanitate aliqua politis. Sed quam hoc rarum fuit, non dicam in vna ætate aut populo, verum in omni memoria atque gente: Mihi profecto nunquam tot Poetas dabitis, quot ſeculis Latinitas floruit. Etenim tantis difficultatibus horret hæc ſemita, vt faciliore ſtudio vel Iuriſprudentiam, vel Eloquentiam demereatur adoleſcẽs, quam Nympham verſuum præſidem; quæ vt ſit fauentiſſima, plerumq; gloriam æterna mendicitate vendit.

Verum in hac parte præceptores peccant, qui velut æquali ſtudio vtrumque campum adoleſcentibus proponunt, vt & inſudent verſibus, & ſolutiores periodos libero ſpiritu quadrent. Nimirum quoniam diuerſis motibus agitur animus, vel ab Eloquentia inſpiratus, vel à Poeſi, non eſt poſſibile, tantam fieri mentis immutationem, vt ſtatim abeat in diuerſos habitus, & ad voluntatis nutum diſſimilimis caloribus æ-

ſtuet. Nam in inſaniam verſuum aptanti ſtrictæ mentis acië, deponẽdus eſt prius Orator, & cum ſtudio exuendus habitus eloquẽtiæ, quem aliquot paulo ante vigiliis emeras: & rurſus omittenda eſt Cithara ingredienti Rhetoricam, & ſedandus tanto labore furor, quanto quæſitus ac expreſſus præſagiẽtem animam afflauerat. Sic in vtroq; ſtudio ſemper nouus, ſemp hoſpes, & ab vtroq; aſſiduus tranſfuga, non iam procos inſtar Ithacæ mulieris orſa deſtructaq; in ſingulos dies tela, ſed fortunam tuam geniumq; fraudabis. Quis maieſtatem eloquentiæ tam magnifice ſuſtinuit, quis porro ineptior Poeta, aut quis aſperius ſyllabas in numeros coegit? Nec meliori genio ad forum vſus Virgilius, quam Tullius ad carmen; inueniſſet mehercule, qui poſtremæ voluntati paruiſſent, officioſos amicos, niſi Æneam ſuum non magis nauib. aut caſtris, quam verborum numeris includens, Romana pene ad lyram mœnia nouus Amphion condidiſſet.

Igitur

Igitur duo ſunt tantum, quæ Poetarum exilium à ſcholis, quæ affingo, deprecentur. Primum, vt animus inſolentium auidus aliquando recedat à quotidiano paſtu, aut veluti in Hybla, aut vernantis Ætnæ vallibus; mirabili floſculorum varietate fatigatos ſpiritus leuet. Deinde, vt Poetæ, qui quam rari ſunt, tam magnis viguerunt ingeniis, attollant ſenſuum ſubtilitatem, & acuminibus innumeris, tanquam telorum impetu, legentem ſic feriant, vt excitatus animus ſe ſentiat.

Sed ne illos, qui primi dicendi artifices fuerunt, omittam, nolo ſqualere Græciam ſitu Barbaro, vel ad pompam ſubornari animum aliquot ſententiarum iactatione atque fuco, qui in huius calliditate ſeculi, niſi rudibus ac imperitis hominibus non imponet. Sed artes illæ hominum, qui non præclarius vixere quam locuti ſunt, tum informabunt ad eloquentiam animum mille orationum floſculis, tum abun-

dantem rerum copiam ſuggerent, ne ſola verborum maieſtate fulta oratio, tanquam deſtitutum neruis corpus, concidat.

Verum his querelis præceptiſq; fortaſſis erat tempus paulo ſupra hanc ætatem. Nũc inani ſpe fallo iuſtiſſimos metus, & veluti nondum fractis tabulis de literarum ſalute diſputo. Quid autem apud vos loqui timeam, qui certe non eſtis Muſarum hæredes? Iam in extremis ſcientiæ agunt, & cogitant de diſceſſu. Ætas iam grandior verendæ illarum ſenectuti terminos ſcripſit. Etenim hoc omni ſeculo, quamuis per diuerſas iniurias, floruerunt diſciplinæ, & per omnes veluti ætates actæ proceſſerunt in vltimam ſenectutem. Habent enim ſuos dies non literæ tantum, ſed & mores, & linguæ, definiuntur ſuis temporibus, & quod eſt amplius, regna ipſa & ciuitates non effugiunt mortalitatem. Nihil detrahendum eſt ſummorum virorum gloriæ. Quamquam plerumque in docendo peccatum ſit, tamen extite-

runt

runt hac ætate paſſim clariſſima lumina, quæ omnem ſcientiarum partẽ exactiſſime eruerũt de miſerrima nocte. Nunc illa ingeniorum fertilitas paulatim excidit, neque vlla virgulta ſurgunt, quæ decidentium truncorum maieſtatem ſuſtineant. Quis ad Themidem familiarius admittitur? cui iuniorum Sophia, cui cœleſtis ſcientia, cui ipſa eloquentia, cui Poeſis, ſpes ſuas demandauit? Qui literarum famam pondúſque ſuſtinent, præter pauculos ſenes, qui velut familiæ extremi Muſarum nomina atque inſignia in tumulos trahent? Nihil erat, cur tam modo acriter auocarem à Poeſi iuuentutem, iam ſatis humilis nihil ſpirat excelſum. Ac præterea nec laborioſæ arti honos eſt, nec vlli prope genti cum vlla ſcientia, ac præcipue cum Parnaſſo, conuenit. Nam & callida Auſoniæ gentis crudelitas ex ſuis finibus exterminauit Apollinem, & ſtylus non tam rubigine maculoſus, quam ſanguine, ſæuius hoſtes perfodit, quam omnis veterum oratorum acerbitas. Ne-

que Ibericæ dictionis tardum pondus, neque dura Germanorum asperitas Musis apud se locum fecit. Tentauerant etiam Sauromatas & Polonos; sed in ipso limine tenellulę virgines secularibus niuibus inhorruerunt. Nam quid de Gallia dicam, quæ optimum Poetarum vix tenui puluere semisepultũ non erubescit; quæ inter tot substructionum minas, & vastissimas templorum moles, nõ magis suo quum Apollinis alumno rudem lapidem negat.

Cum hæc tristissima voce pronunciasset, cœpit intueri, num aliquis in Musarum funere lachrymas mitteret. Cumque aliquantum, longæ orationis tædio frontes nostræ horruissent, existimauit tanta declamandi peritia moueri. Cæterum & ipse, inquit, aliquando Musis grande votum feci, si aspirassent tendenti ad carminis grauitatem, mihique necessitatem attulerunt sua benignitate exsoluendi promissi. Nam plantarum ingenia & virtutes exorsus sum, stylo, nisi me fallebant amicorum suffra-

Induerit truncos; quis origine truncus ab ipsa
Mitib. æternas repararit solib. umbras.
Sic vos humenti sic aureus euocet aura
Dux Amphionidum: nec vos aut Seirius vrat,
Aut Nothus, & fragiles rumpant mala nubila culmos.
Viderat æthereos late gemmantib. ignes
Collucere polis, & toto sydera mundo,
Alma parens tellus, tum quæ curuamina flectit.
Solis iter, totum distinguens circulus annum,
Tum quæ fixa sibi posuere cubilia stellæ,
Et quæ multiplici properant, vnaque recedunt
Astra via, semperque suis sibi cursibus obstant.
Ipsa sinus vacuos & inerti squalida cul-(tu
Brachia protendens, nudosque ad sydera vultus;

Naturam alloquitur ſupplex. Quid me
optima, dixit,
Aeternum caſſare iubes, & in otia ſolui?
En ſoror aßiduis euoluere mõſtra laborat
Fluctibus, & tantos numerat iam The-
tys alumnos,
Naiadaque, Glaucumque vehens, diuoſ-
que biformes. (lucres
Ipſa, pudet, vidi liquidum per inane vo-
Deferri, & nullo deſertos aere calles,
Ecce ſui cœlo fœtus: & nocte coruſca
Tot voluiſſe faces, tot lumina ferre ſu-
perbit,
Sola voca. Mœſtis meditantem plura
querelis
Reſpicit, & blãdo vultu natura ſerenat,
Tunc erat hyberno qualis ſub frigore
nymbus.
Cogitur, & niueæ cãdeſcit mole pruinæ.
Talis humus: ſic illa rigens ſic orbe niuali
Pendebat, gelido nonnunquam interlu-
ta Nereo.

Hic primum ingentes aperit Natura recessus
Visceraque, arentesque sinus, venasque capaces.
Atque illi tacitum lambendi serpere pontum
Imperat, inde aliis iterum prorumpere terris,
Iam sale mutato, ripisque minoribus actum
Ire iubet, gelidaque domus vmbrante cauerna,
Iam fieri fontes, paruisque excurrere campis.
Vtque satis pingui maduerunt iugera limo,
Nec latebris hiat vlla sitis, tum pectore toto
Incubuit Titan, fœcundaque lumina misit.
Protinus in numero tenues examine culmi

Prorupere solo. Pars mollibus humida ripis.
Tollitur illa iugis, hæc valles induit imas
Qualis inest cælo facies, cũ luce corusca,
Pallida purpureos succendunt sydera vultus,
Primus ab Eois, gelida mox alter ab Arcto,
Vnus ab Occiduis, alter micat ignis ab Austris
Sic fœtæ telluris honos: nunc pectora cernit,
Nunc virides creuisse humeros, fœtuque recenti
Exultat, lateque suos miratur honores.

Hæc ego cum scripsissem, opusq; vniuersum digererem in aliquot libellos, matura pœnitentia conatum præuertit, & aliquid vltra lyram sapere iussit.

[*Imo & huic subiunxeram & colloquium illud Philippi & Alexandri, de Homero Hesiodoque, quod apud Dionem Prusæum extat: qui sic habet,*

Fer-

Fertur, quod Alexander quum adhuc esset adolescentulus, cum Philippo patre collocutus sit de Homero, valde viriliter, atque animose, sermones autem illi propemodum & de regno erant. Alexander enim iam in expeditionem proficiscebatur cum patre, tametsi Philippus prohiberet, sed non poterat eum retinere: quemadmodum generosi non sustinent domi relinqui, cæteris venatum exeuntibus, sed consequuntur, nonnunquam etiam ruptis vinculis: aliquando quidem perturbant alios in opere, propter iuuentutem & desiderium vocem emittentes, & ante tempus feram excitantes, interdum autem prosilientes capiunt ipsi, huiusmodi aliquid & illi accidit in principio, vt & pugna in Charonaa & victoriæ dicant ipsum causam præstitisse, quum pater cunctaretur adire periculũ. Tunc ergo à militia reuersi, sacrificabãt Musis in Dio Pieriæ, & certamẽ Olympiorum proponebant, quod quidã ferunt antiquum esse apud eos. Interrogauit illum igitur Philippus in congressu: Quî fit ô fili, quod ita tibi vehementer stupori

est Homerus? Nam illi vni ex Poetis incumbis. Oporteret siquidem alios negligere: sunt enim viri sapientes. Et Alexander respondit: Ideo pater, quod non quæuis poesis Regem decere mihi videtur, sicut neq; quoduis vestimentum. Cætera quidem poemata ego arbitror partim esse conuiuatoria, partim amatoria, partim autem laudatoria athletarum & equorum, qui victoriam sunt adepti. Alia etiam continent lamentationes super defunctis, alia autem risus aut conuiciorum & salium facta sunt gratia: vt sunt Poetarũ Comicorũ, & ea, quæ Parius Poeta fecit. Nonnulla forsan etiã popularia dici possent, consilia & admonitiones vulgo, adeoq; priuatis hominibus præscribentia: quemadmodum sunt (opinor) Phocylidis & Theognidis. Ex quibus quid vtilitatis capere posset vir, qui nobis similis sit, cunctisq; præstare velit, atque omnibus imperare? Homeri autem poesim solam video ingenuam esse, & magnificam, & vere regiam, cui animum aduertere decet eum virum, qui maxime quidem imperaturus sit omnibus, qui vbique sunt, hominibus, quod si autem fieri non poßit,

quam-

quamplurimis, & maxime illustribus, vere futurus, vt ille ait, pastor populorum. Si minus, quomodo tamen non absurdum fuerit, quod rex quidem equo non nisi optimo vti velit, ex poetis autem & infimis adhærere, quasi otioso illi esse liceat? Hoc scias velim, inquit, ô pater, me non solum alium poetam, sed etiam aliud carmen, quam Homeri Heroicum audientem, dolore affici. Valde igitur illum Philippus admiratus est, propter animi magnitudinem, quoniam perspicuum erat, nihil eum friuolum aut abiectum in animo cogitare, sed tale quod Heroum aut semideûm factis possit comparari. Attamen volens illum excitare, Hesiodum autem (inquit) ô Alexander parui iudicas esse pretij poetam? Nequaquã (inquit) at quantiuis pretij, sed non regibus, neq; imperatorib. fortasse. Quibusnam autem tandem? Hic Alexander subridens, Pastoribus (inquit) & fabris lignariis, & agricolis. Pastores enim ait charos esse Musis, fabros lignarios autem admodum perite monet, qualem conueniat axim excidere, agricolas autem quando aperiendum sit dolium. Quid

igitur? (inquit Philippus) nonne hæc vtilia sunt hominibus? Non nobis certe (inquit) ô pater, neque Macedonibus huius, sed superioris seculi, qui erant pastores & agricolæ, & seruiebant Illyriis & Triballis. Neque quæ circa sementem (inquit Philippus) atq; messem ab Hesiodo ita magnifice dicta, tibi placent?

Pleiadum exortu gnatarũ maximi Atlantis
Messes, arua sed incipias proscindere casu.

Multo magis, dixit Alexander, mihi ea placent, quæ sunt apud Homer. de agricultura. Et vbi de Agricultura Homer. dixit: quæsiuit Philippus, an ea dicis, quæ sunt in clypeo, imitamina arantium & metentium, vindemiantiumque? Minime inquit Alexander, sed illud longe magis Iliad. A.

Ast hi, vt messores verso in contraria vultu,
Hordea triticeáq; metũt q; ex ordine frugẽ,
Aruisin locupletis heri at crebri inde manipli
Sternuntur terra: sic Troiani atque Pelasgi,
Mutuo se aduersis vastabant frontibus acri
Impete, nil memores trepidi, vacuiq; timoris.

Hæc quidem scribens Homerus, victus est ab Hesiodo, dixit Philippus: Annon audiuisti

epigramma in Helicone tripodi inscriptum, HESIODVS MVSIS HELICONIDIS HVNC AVTEM OBTVLIT, QVVM HYMNO IN CALCIDE VICISSET DIVVM HOMERVM. Et admodum iuste victus est, dixit Alexāder, neque enim Regibus præsentibus certauit, sed agricolis atq; plebeiis, imo hominibus voluptuosis & mollibus. Quamobrem vltus est Eubœenses in sua poesi Homerus. Quomodo? admirabundus interrogauit Philippus. Quia illos solos inter Græcos fœdissime circumtondit, sinens eos comam retro dimittere, sicut nunc quidam pueros tenellos.

Hic cum arrisisset Philippus, dixit: Scis, hinc, ô Alexander, non esse contristandos bonos Poetas, nec argutos historiarum scriptores, vt in quorum potestate sit, quicquid velint, de nobis dicere. Non omnino, inquit, in illorum potestate est. Neque enim Stesichoro bene cecidit, quod aduersus Helenam mentitus est.

Et quam submisse & frigide de Achille. hic enim subditus erat aliis, & mittitur cum

paruis copiis, proprie ad hoc, vt alteri auxilium ferret, ego autem nunquam quenquam hominum ferrem regnare super me. Hic Philippus paulum irritatus, nunquid non ego, inquit, super te regno, ô Alexander? Non super me certe, inquit, obedio enim tibi non vt Regi, sed vt patri. Ergo tu quoque, inquit Philippus, temet dices ex dea matre progenitum, quemadmodum Achilles? aut Olympiadem comparandam Thetidi putes? Et Alexander sensim subridens: Mihi quidem, ô pater, dixit, fortior videtur, quam omnes Nereides. Hic ridens Philippus, non fortior solum, inquit, ô fili, verum etiam bellicosior. Neque enim vnquam desinit mecum bellum gerere. Hæc ita hactenus illi inter se, seriis tamen admixtis, iocati erant. Rursus autem interrogauit eum Philippus. At quum vsque adeo, ô Alexander, Homerum admiraris, quare despicis eius sapientiam? Quia, inquit, & in ludis Olympicis libentissime audirem præconem, vocem magnam & claram emittentem, nec tamen ipse vellem proclamare alios victores, sed multo magis proclamari. Hæc autem dicens, manifestabat, quod Ho-

merum

merum quidem putaret excellentem & diuinum re ipsa præconem virtutis, sese autem & illos viros athletas & certatores pro bonis factis existimaret. Nihil sane absurdum, inquit, ô pater, etiamsi bonus Poeta esset, præstante hoc natura, quandoquidem & Rhetorica opus est Regi. Nam tu frequenter rescribere cogeris & contradicere Demostheni, Rhetori valde vehementi, & impostori, atque aliis quoque, qui Athenis Rempublicam administrant. Equidem vellem sane, dixit Philippus iocans, ô fili, concedere Atheniensibus Amphipolim, pro Demosthenis vehementi eloquentia. Sed quomodo Homerum sensisse putas de Rhetorica? Videtur mihi, inquit, ô pater, quod eam admiretur: nunquam enim Achilli doctorem orationum applicuisset Phœnicem. At enim, missum esse ipsum à patre, vt fieret orator sermonum & factor operum. Et alios quoque optimos & maxime regios scripsit studiosos fuisse non minus circa hanc facultatem: vt Diomedem & Vlyssem & Nestorem, atque hunc excellentissimum prudentia & sermonis suadela fuisse. Ait enim in Poeseos principio:

ſpirantem ordinem & concentus pene muſicos inſtruxit: quodque luuernæ lyra, vbi leopardis & leonibus conuenit, auguſtiſſimum eiuſdem Neptuni numen ſecuro carmine adorauit. Erat autem inter ipſos quæſtio de quercinis & faginis tabulis, vtra materies eſſet ad quadra præſtantior: neque agreſtes interim auellanas dentibus ad hoc exercitatis ſegnius moliebantur. Secutus deinde intrantes cœnaculum, ructibus quater afflatus, excepi prope redeũtem ientaculi cibũ, & neſcio quo fumo perſtrictus, parum fuit, vt olidi conuiuii conſpectum ſuſtinere non poſſem. Igitur ægra corpora medicamentis leuari credebam: quod amplius mihi perſuaſit panis tam modicus illatus in mẽſam, vt ad vncias crederem datum, cum ſubito peluis aſſa bubula cumulata, ſic vt quatuor ferentes deprimeret, ipſam pene menſam fregit. Et ne eſſet Libero Vulcanoque rixandum, quis diluendis poculis inuocaretur, non ea lymphæ mixtura temperabant, ſed Indicæ cannæ

ſuccum infundebant in merum, & vacuata ad vmbilicum pocula ſic agebant, vt ſemper grandior lataga expectaret ſecund. m affuſionem. Interim plaudebat Laberri familia, ſtupebatque hanc veluti mag an mitatem edendi: gens plerun que magnorum non capax, & velut patria grauitate depreſſa in humilitatem cogitationum: cum tamen exurgit, nulli cedens capacitate magnæ mentis. Quoniam ingentibus vitiis magnæ virtutes parum abſunt.

Dum hæc age entur, interim improuiſo ad l.t. s acceſſit ſuau ſſimus Percas, &, quamdiu eſt, inquit, quod te quæro: non fuit locus in hac d mo, quem bis omiſerim ſcrutari. Nam ſub hoc medicaminum fumo non credebam delicatum hominem viuere poſſe. Cum quærerem, quid noui cōt giſſet? æquiſſimus inquit, condicioni tuæ dominus te in vica ium ſuæ dignitatis aſſumit. Mox vt iuſſi miſſos aſſuetos ſales faceret, ipſe protractum extra cœnaculum manu prehendit: & ſcis, inquit, quod do-

minus viam destinauerit? Certe, inquam ego, vltra terminos montium, qui festinatis niuibus æternitatem hyemis continuant. Tum ille, tibi vero munus, inquit, præeundi decreuit, tum vt rustica diuersoria genius humanitatis tuæ mitiget, tum vt municipia moneantur, ne illustri concursu tanti hominis fraudent aduentum. Nam de tuis moribus tam apte ad fidem dixi, vt te nihil iam credat esse prudentius. His dictis ad Callionem pduxit, qui quamplurimis oneratum mandatis dimittit in proximam vrbem, iussitq; vt expedito ꝑgressus itinere, diuersitores instruerem in nostræ humanitatis leges; cum ecce molienti mihi per compositos sedilium gradus ascensum in prægrandem equum, attulit rusticus quidam à Fibullio literas, quibus vrgebat, vt definirem pactis nuptiis certum diem: quoniam, inquiebat, multis in eandem spem erectis præmia meæ sanitatis in securo tibi esse ardentissime volo.

Interrogaui nuncium de Fibullii va-

letudine, ac deinde de muliere noſtra: quem cum illi deſcripſiſſem, ſic vt internoſceret laudatiſſimos vultus: bene, inquit, & illa habet, niſi quod alui pondus excreſcens, marcidi oris purpuram aliquantulum extinxit. Tum ego, cuius aſſueta cubili faſtidioſum morbum contraxiſſet, interrogo. Certe, inquit ruſticus, ferunt iam ſextum ex Fibullio peperiſſe, pudicitia tamen tam notabili, vt nullis peruulgauerit corpus, niſi magnis hominibus, ſecreto etiam ſua furta celantibus. Non potui erumpẽtem impetum premere, quin animum in Fibullii pœnas elatum in epiſtolam effunderem. Itaque bis terque diſſectam pedibus in terram deprimo, illud intra me repetens magis optabile eſſe, vt ex Libitinæ templo mihi funeris apparatus prodeat quam turpiſſima cõiux, & cum iracundia prudentiam extinxiſſet, ne relato quidem verbo admiſſis frænis in prouinciam meam iter cepi, quod non potuit tam funeſto exordio nõ luctuoſiſſimum eſſe.

Nam cum octiduum consumpsissem inter gentes vtcunq; non barbaras, tandem cōfragosis exceptus montibus adueni feros homines cum locorum difficultate consentire. Etenim cum errores viarum timerem, vel malitioso silentio negligebant orantem, vel ipsa vocis petulantia non tam expediebant ignorantiam, quam perfidiosis ambagibus lacessebant. Deinde in hospitium perductus, cum fames vrgeret, quanta non vindicauit excisam Cereris quercū, & cœnulam meam diligētius curarem, rogo, inquam, amici, cur ignis non excitatur? iam nox appetit, & nondum culinæ fumus dissipauit coeuntis aquæ gelu. Num hodie cibi in hac vrbe ferias agunt? Prouocati illi inassueta libertate iniquis oculis aspexerunt, risuque inter sese excitato inconditum sustulere clamorem. Tum anus fœdissimo squalore inculta processit, vestemque altius præcingens, postquam lippitudinem oculorum multoties manu permulsit, ad cameræ altitudinem exiguæ sellæ ascen-

ſu admota eſt: ac laridum ſpiſſiſſimo veſtitum fumo, enſe, qui niſi duabus manibus non rotatur, artificioſe præcidit. Prunis deinde, quas ſubinde follis excitauerat, imponit, & vt ſyncerum cibum daret, nihil ex eo vel radentis cultelli acie, vel aqua mundatrice deterſit. Non ferebat ſtomachus nondum ingeſti cibi tam deformem aſpectum. Itaq; panem pene lapideum, & qui incorruptus nauigatet, in manus ſumo: & ne vrgeret ad cœnam, tanquam videndæ vrbis auidus, ad exterius limen conſiſto.

Hic aliud maius miſero, multoque tremendum
Obiicitur magis, atq; improuida pectora turbat.

Stabat enim ad vicini oſtiolum bos, tum diffuſa cornuum proceritate, tum eximia corporis magnitudine præſtans, quam ipſe dominus in tripodem ſedens fœdiſſime emulgebat, cantu etiam quodammodo triti vberis liberalitatem prouocans. Erat illius nepos,

quam

quam tam magnifice ſuo pridem Mauſolæo aiunt Luſitaniam condidiſſe. Non tuli hanc virilis conditionis infamiam, & velut B.ſiliana lapidatio mea bene ceſſiſſet, raptim exiguam molē in ſpurciſſimum caput miſi. Sed incidit lapis in articulum bouis, qui cum tibia ſuperiorem partem tenacitate nerui ligat, & animal œſtri ſuſpicione motum emulgentis pectus excuſſiſſimo calce pertudit, ac per totam vrbem diſiecta ceruice decurrit: ſic vt Ium credimus admoto Iunonis ſtimulo nō reliquiſſe in orbe partem, quam furioſa præcipitatione non adiret. Recipiebam me timidiſſimis paſſibus in interiorem domum, cum ipſa familia iacentis hominis clamo em exaudit, concurſuque viciniç facto vnus alium, vt quiſque poſtremus aduenerat, de facinoris authore rogabant. Iamque omnibus in eam mentem verſis, vt mero caſu laſciuientem vaccam crederent calcem in dominum reieciſſe, nequiſſimus puer, qui me forte notauerat cum ſaxum emitterem, peregrinus, inquit,

qui ad lilium hospitat, mansuetum animal emisso saxo concitauit. Tum omnes impetu facto me iam in mortem intentum diripiunt. Et quanquam puerilis imbecillitas testimonio fidem tollebat, tamen apud barbaros tanti erat externum hominem lacessere, vt etiam timerent, ne innocentia susciperet defensionem meam. Nec diu luctatus cum furentium vocibus, quia proponebantur tormenta, id facinus, nequaquam vt arbitrabar inexpiabile, confessus sum: ratus nihil seuerius decreturos in vulnere bouis, quam quod in Cygni cædem Britannia seruat, vbi expiatur nocens tanto frumenti cumulo, quanto appensam auem condat. At illi propria voce damnatum, quoniam ad supplicij spectaculum lux iam in tenebris vergens erat angustior, in carcerem ipsa cruce deteriorem mittunt. Vbi tamen somni necessitas grauitatem malorum obruit, & lento sopore non tam soluit solicitudinem, quam ad alias curas transtulit: seu me quietum esse nulla fata volebant,

siue meam contumaciam, quod in speluncam non redissem, Dione vlciscebatur, quam etiam recentissimo exemplo sæuire videmus, vt qui aliorum matrimoniis moram fecerint, ipsi se intempestiuo coniugio implicent: Videbatur enim mihi adstare mulier illa, quæ in spelunca suo pudore impetum meum vicerat, & trucibus oculis inspectare iacentem, cumque seuerissimis verbis diu detonasset, tandem in hæc verba perorare. Sed ne quid dubites de Numinum ira, illas pœnas dabis, quas ego, quæ tuo sum scelere violata, nō exultem magis quam horream, tu exilio, tu cruci, tu ferro destinatus es, tu amicissimorum odio flagrabis, tua denique supplicia nihil mo abitur, nisi forte vt in pœnā diutius dures. Nec me vt veneficam, ut profligati pudoris fœminā maledicas. Non enim te arcessissem per Veliā, nisi amassem verecundiam pudoris tui, nec unus quam vidisti me vnquā maleficis immiscuit sacris, sed vt ferme mos est nobiliū puellarum, insontibus tan um sortibus,

&,vt appellamus, albis, instruxit. Et tamen traduxisti apud familiares tuos meum nomen: tu me inter veneficas nequissime, tu me inter solutiores numerasti.

Cum hæc dixisset, tanto metu cohorrui: vt ipsa membrorum trepidatio soporem discusserit: Et quoniam somnij piaculum gelida lustrare non poteram, oculos saliua linij, cum nocturni horrore prodigij fascinationis periculum expauescerem.

Quid interim facerem? quæ me artes hoc specu eximerent? Non erat culina, quæ me vimine ac cratibus velut antiquo clypeo circumtectum celatumque reciperet; non saltatrix custodia, quam per lusum fallerem: nō etiam Medicus, cuius olidum medicamentum sic efferrem, vt ipsa protecta fronte naribusque obductis, aliorum etiam à me vultus arcerem. Lux deinde illustrior cū nocturnæ imaginis terrorem diluisset, carceris mei fores tumultus formidabilis fregit, & intromissi satellites ipsa barba sine ar-

mis horribiles moriendi necessitatem denunciant: simulque de funesta domo erutum in vastam ac inanem aream producunt. Tum appositi custodes etiam diurna officia non omittebant. Hic reclinata ad parietem hasta cētonem multiplici colore ornabat: ille muliebre cingulum corio nondum abrasis pilis bene læuo aptabat, & gemino plumbatorum clauorum ordine distinguebat: pars denique filum picis tenacitate induebant, pars calceis prope cubitalibus densissimam ferri seriem supponebant: cum interim mihi succurrit meo clypeo, id est, Callionis nomine, vti. Sed nullus, opinor, deorum extra cœlum suum regnat. Idipsum tumultuantes acrius incitauit, & impune proclamant, licebit vni genti apud nos esse iniuriæ; & alienam timebimus nobilitatem, qui gentilem proiecimus; nam quid apud nos ille populus regnabit, qui extra patrios fines vbi pedem in suo ponat non habet? num temeraria iuuentus atque leuis, quæ ineptis clamoribus, quæ affectata tripudio-

rum

rum lasciuia, vbique insolentem audaciam pro viuida indole iactat, erit potior seueritate nostrarum legum & imperij maiestate.

Inter has tumultuantium voces alius subinde clamor exortus est. Nam adducebatur famosissimus latro, qui pressi lactis mésuras aliquot demerserat in profundæ cellę noctem, & capellam fœtu ac vbere nobilem in solitariæ rupis secretum abuexerat. Igitur adhuc incertus an ad laqueum, an ad ignem damnaretur, ad meum latus sese applicuit: cum ex alia parte mantilia extensissimam instruxerant mensam, & piperatus panis, vitellis artificiose mixtis, abunde allatus est, ac deinde bubula ad fumum cocta, pisciſque non garo vel gutta notabilis, sed creberrimum zi ziber cum mixtura salis condiebat humiditatem aquaticæ naturæ, & ad genium regionis acuebat inexpugnabil. m sitim. Tum capacissimæ amphoræ sexdecim velut in cõuiuij præsidium constitutæ, vtramque mensæ oram æquali pondere librabant.

Erat

Erat dignum Bromio factum, quem rerum suarum auspicem venerantur, non iuuenem tantum, sed qualem patris femina reddiderunt, credo quia nunquam apud illos Nymphis ac fontibus nutriciis creuit.

Cum hæc omnia mirarer, lictor cuius manus iam spectabat iugulum meum, me ad postremas dapes inuitat. Ego vero dum inutilem in damnatos humanitatem sperno, video supplicij mei socium iam honoratissimo loco sedisse, ac plurimis passim ineuntibus conuiuium, mihi tamen in secundis seruatam esse sedem. Igitur velut in Thraciam deuenissem, vbi conuiuarum aliquis cæterorum risum suo suspendio excitat, ad mensam moriturus accessi, longoque defixus obtutu illud tandem mecum cogitare cœpi, si præteritæ noctis somnium non imprudens casus, sed vel iratę mulieris sortes, vel præsagientis animi diuina vis obtulisset, non posse tam celeri fato mea exire supplicia. Vbi enim exilium, vbi

amicorum odia, vbi minæ omnes, quæ vix possint tanto tempore recitari, quanto ad destinatam hodie mortem satis esset.

His argumentis, & quodammodo spe futurorum suppliciorum refectus, ac præterea quod nebulosus horror, qui plerumque morituros terret, animum non obtenebrabat, concipiebam secretissima vota, & ab irata fortuna prouocabam. At vero pœnæ meæ miserrimus comes, qui Mycerini æmulus vitam in mortis decretæ solatium oblectabat; cũ iam duodecies propinantibus mirabili fortitudine respondisset, tandem querelis, mox fletibus, prosequebatur suam calamitatem, & alternis admittebat miserantium voces. Cumque identidem profuso fletu repeteret, id se vnum mirari, quod recentis triumphi memoria non obstitisset seueritati iudicantium, ausus sum ab eo petere qui mihi proximus consederat, quo ille prælio triumphare meruisset? nuper inquit, cum aliis missus, qui renouarent clarissimum fœ-

dus, certantibus de bibendi peritia populis, ipſe tres congios præter omnes exhauſit, cottaboque accepto illuſtrem familiam ditauit. Iuuit me quod tam funeſto loco eram: alioqui riſum nũquam tenuiſſem in tam elegantis certaminis memoria, & vlciſcenda ſeuerius culpa obligaſſem ignorantem animum, quam ſi bouem iterum ad inſaniam prouocaſſem.

Iam erat in extremo conuiuium, cum iterum ad intempeſtiua pocula prouocati, tandem ad magiſtratum ducimur, qui parum, vt in re prouiſa, moratus, vtrumq; ad laqueum damnat; conuerſuſque ad participem meæ ſortis, tu, inquit, ſolis expiabile flammis nefas admiſeras. Sed quoniam crux huic miſero fuit erigenda, malui vtrumque breui compendio puniri, quam in totum diem tenere lictores. Tum iniecta manibus vincula; collo etiam circumdati funes, & vtrique ſacrorum miniſter datus, qui æternitatis admoneret. Si mihi creditis, nõ grauius dolebam quam vel Pedonis ludibrio fa-

tiga-

tigatus, vel iniquo Basilianorum iudicio pressus. Non enim lætitiam haurimus aut mœrorem ad successus vel miseriæ modum, sed angustiæ pectoris nostri sæpe minoribus malis sic implentur vt ad sæuissima fortunæ tela grauiorem sensum non admittant. Erat etiam, nisi me fallo, vultu graui, neque malis deiecto, cum saltem in extremis constantiæ laudem quærerem:

Assyrius veluti rediuiuo funere phœnix
Hæres ipse sui, cum iam natalia busta
Conglomerans carpit postremo nubila cursu.
Magnanimæ stipantur aues, Regemque verendum
Sollicitæ obseruant, & fati limine credunt
Altius ire sibi. Collo iam pulchrius aurum,
Ex mox arsuris stat maior gratia pennis.

[Et

Et illud Apollonii ad Valeriũ ſubiit, qui inquit: Mors nulla eſt, cuiuſcunq; tandẽ ſit, niſi ſpecie & apparitione tantum: quemadmodũ neq; generatio cuiuſquã eſt, niſi duntaxat apparitione. Nam ipſa conuerſio ex ſubſtantia in naturam generatio videtur eſſe. Rurſum in iiſdẽ conuerſio naturæ in ſubſtantiam, mors; cum neq; generetur quicquã reuera, neq; intereat vnquam, ſolumq; ſub oculorũ ſenſum cadat, & poſtea rurſus euaneſcat; quorũ illud quidẽ fit ob materiæ denſitatem: hoc autem ob ſubſtantiæ tenuitatem, quæ cũ perpetuo maneat, eadem motu ſolũ differt & poſitione. Hæc enim proprietas neceſſario requiritur ad mutationẽ quæ extrinſecus accedere nullo modo poteſt. Sed totum commutetur in partes, atq; rurſum partes in totum vertuntur, vnitate conuenientiaq; ipſius integri. Sin quiſpiam interrogarit quid hoc eſt, quod aliquando quidem videri poteſt, aliquando vero non: aut iiſdem aut aliis: reſpondendum, eſt de ſingulorum huiuſmodi generũ ratione. Quod enim impletũ refertumq; eſt, apparet, propter craßitudinis reverberationem. Non apparet autem cum euacuatum eſt, propter

tenui-

tenuitatem, materia v olenter diffusa, postquã effluxit è continente ipsam æterna mensuratione, neque generationi, neque corruptioni obnoxia. Quid autem omnino non redarguitur neque castigatur error, qui iam eousque progressus est, vt aliqui quod ipsi patiuntur id agere sese credant. nescientes eum qui genitus est, per parentes & non à parentibus genitum esse: quemadmodum id quod per terram enatum est, non è terra nascitur; nec apparentium vlla est affectio seu passio circa singula, sed magis de vnoquoque ipsorum. Id vero quo nomine quis rectius appellarit quam primam essentiam, quæ sola agit & patitur quæ fit omnibus omnia, per omnia Deus sempiternus, quæ nominibus & personis de sua sede pellitur & iniuria afficitur, idque minus. Tum autem defletur aliquis cum Deus ex homine fit, loci transmutatione. non natura. Si autem veritatem sequi volumus, nõ legenda tibi, sed honorãda colendaque mors est. Honor autem optimus est & conuenientissimus, si Deo legem suam relinquas & tu fidei tuæ commissis populis imperes, quemadmodum antefecisti. Turpe

est tempore, nō ratione meliorem fieri: siquidem etiam malis temporis diuturnitas finem molestiarum ac dolorum adfert. Maxima res est, imperium sufficiens & de maximis. Princeps optimus qui sibi ipsi prius imperat. Quomodo vero sanctum esse queat quæ voluntate Dei *fiunt, ea deprecari? Si certus in rebus ordo seruatur: seruatur autem, & eum gubernat ac regit* Deus*: qui iustus est, non volet bona?* Id *enim libidinis est, & ordini repugnat: ea tamē quæ fiunt putabit prodesse?* Prodi *& medere, iudica & simul & consolare reos. A planctu vero lachrymisq; sic auocabis. Non priuatæ res, publicis, sed publica priuatis anteponendæ sunt. Quale vero genus est illud consolationis. Cum vniuerso populo filium luxisti. Refer illis gratiam, qui communem tecum dolorem susceperunt. Referes autem si statim mærore destiteris. Si non prodeas, amicos non habes. Filium autē quamuis mortuum, etiamnum te sapiens habere dicet. Quod enim existit, non perit, cum idcirco existat, quod semper futurum sit: aut certe quod non est, illud fit. Quomodo vero non alio quopiam quod sit pereunte*

ſit. Forte alius diceret, quam impietatem & iniuriam exerces. Impius es in Deum, iniurioſus in filium, imo in hunc etiam es impius. Quod ſi vis diſcere, qualis ſit mors, mitte poſt hanc vocem qui me interficiant, quam niſi mordicus tenebis, cōfeſtim me teipſo meliorem efficies. Habes ætatem, habes vxorem prudentem, amantem viri, omnibus rebus abundas. A teipſo quod deeſt ſume. Romanus quidam ex veteribus, vt conſeruaret imperii legem atq; decus, proprium filium morte affecit, & coronatum occidit. Ciuitatibus quingentis imperas Romanorum nobiliſſimus, ſic es animo affectus vt quis domum aut familiam conſtanter hoc modo gubernare non poſſet, taceo ciuitates & populos. Appollonius ſi coram adeſſet perſuaderet, ne Fabulam lugeres.]

Interim ad infauſtam arborem celeberrimo conuentu producti, & infamibus appliciti ſcalis reputabamus proximæ mortis horrorem, cum tacitis mecum votis ſic loquerer: O ſi iſtæ minæ ſanctiſſimam Neptuni iram imitentur, quem ouatio ſupra triumphum dele-

ctat?

ctat? qui & iustitiæ dedit capitales scenas erigi, & eas incruentas esse suæ naturæ concessit. Tum lictores gentilem primo suum supplicio admouent, & in tantam altitudinem prouectum, vt vertice tãgeret fastigium crucis, hic depulsis humeris, illi pedibus extra scalas protractis, in liberiorem aerem trudũt. Nec alio modo maturabant interitum, sed ipsa corporis grauitas lentissimam mortem ægre moliebatur.

Mihi deinde cum iniicerent manus, vox statim familiaris, illius nempe gentis, apud quam seruieram, aures percu-lit, & spe ad auxilium erecta, nescio quomodo blandita est meis malis, vt suggereret Callionis domesticos aduenisse. Erat autem Fibullius, mihi tum ob dissectam epistolam infensissimus, qui præcipitabat etiam in Italiam iter, ac tum immani detentus spectaculo interrogabat, quod nos facinus in crucem efferret, cúm agnouit confusos tristitia vultus, & veluti improuiso telo confossus exclamauit; ergo sceleri tuo tantum

fortuna pepercit, ergo tam propitios inuenit perfidia diuos, vt meis ſubtraheretur manibus ſceleſtiſſimum caput, nec à te fœdiſſimi contemptus pœnas repoſcerem, tam grandi iniuria prouocatus; Nunc etiam, ſceleratum mancipium faſtidij inſolentia durat, & ſeruile ingenium ne beneficiis quidem & donis tractabile? Obſtupuerant omnes ad inexſpectatiſſimos queſtus, cumque facinus à me commiſſum quærerent, ac vel inani laſciuia ſeruile profudiſſe peculium, vel libertum procurationis tabulas malitioſe corrupiſſe clamarent, ego interim lictores orabam, vt me matura morte ſubducerent, tot caſibus veluti per diuerſos alueos inundantibus miſerrimum caput. Sed manſueta benignitas timet in barbaris pectoribus inueniri, meque ad laqueum feſtinare dicebāt, quoniam eluenda videbam flammis crimina, quibus me onerabat aduectus mirabili deorum conſilio hoſpes. Non ſum primus, cui ſalutis exordium ſæuitia calamitatis attulit. Nam alter-

can-

cantibus vniuersis, dum me alij censent ad tormenta seruandum, alij datæ integritatem sentētiæ nullo prætextu libandam, meus interim genius Callionem attulit, qui præmisso ad tumultuantem cœtum Percante, postquam periculi mei grauitatem audiit, dolore ac iracundia ferox, admisso equo in mediam turbam inuectus est. Et quoniam viles erant, & inculti, cogitabat seuere agere, ac orationi authoritatem per audaciam facere. Sed reputato dedecore, si exitum conatus non haberet, suppressit erumpentem impetum, &, peto, inquit, ne sanctissimum fœdus in vilis persona mācipij cadat. Quæ ista vis, ciues optimi? Quo abiit ingenerata his terris benignitatis; Neque innocentem esse quem damnauistis, prædico. Absit iudiciis vestris detraham integritatis famam. At certe reseruare potuistis famuli pœnam in aduentum domini iam stantis ad mœnia vestra.

Tum orauit, vt dilato supplicio vna ad Magistratum irent. Nec Fibullium

interim aduerterat, præcipitantis negotij caligine cæcus, aut salutationis blanditia superbiam ferocis animi nulla dedecora præ contemptu æstimantis permulserat. At Dictator postquam diurna publici officij munera impleuerat, ad domesticas statim curas traduxerat impigrum corpus. Igitur diutius in limine cunctatus Callion, tandem assiduis pulsibus lassauit audientem, qui vxore iussa aperire vrgentibus, ipse non segnius iuuenco ex scalis appenso detrahebat viscerum molem; cruentis adhuc manib. quib. paulo ante illius iugulum resoluerat. Sed vt insuetum intrantium splendorem aduertit, cultellum in reseratos inserit dentes, manusque in præcinctam pellem rergens, nocturnum capitis tegmen extremis aliquantulum digitis mouit: Ac vt Callion per Principis sui reuerentiam, per eorum manes orauit qui primi fœdus inierant, vt iuuentui meæ parceret, ne in crucem mitteret temeritatem, risu potius aut datis ad numerum verbis dignam, cum metueret Dictator,

ne male purgata sanies iuuencum corrumperet, bene est, inquit; agat authoritati tuæ gratias, ac illud meminerit, nõ potuisse nos salutem dare, nisi mori meruisset. Procidi ego ad pedes, & cum Dictatorem, ac deinde dominum adorassem, excessi eadem lætitia ab ędibus, qua Theseus Plutonis exutus vinculis primum solem aspexit.

At Fibullius, vt accepta iniuria ferox, tum quod fraudabatur spe nostri supplicij, tum quod salutationis officium Callionem neglexisse credebat, concoquebat dolorem mutum, & in vindictam erectum, cum ex improuiso Callion aduertit hominem, & in amplexum decurrens, O mi, inquit, Fibulli, quis Deus ex voto hunc suauissimum occursum obtulit, & barbaræ feritatem regionis humanitate amicitiæ nostræ leniuit? Cum tanta verborum blanditia extorsisset ab irato vt orationem nõ seueram, ita patum priscæ beneuolentiæ memorem: vterque in diuersa hospitia peruolat: curatisque illa nocte corporibus, vt

excuſandum campus, ſed timiditatis opinionem facere noluit, tanquam inuaſores nocturni, qui ad maiorem vim fœde planorum imaginem ſumunt. Itaque bene ſenſiſſe Fibullium affirmat, ac ne impetum moleſta ſedulitate domeſtici turbent, ſuffurandam eorum oculis generoſitatem tam inexpectati conatus. Igitur omnes in diuerſam curam intendere animos iuſſit, ac pręcipue ientaculi munus officioſiſſimis mandat, dum, inquit, in proximū hortum Fibullium abduco, libertate aeris poſitutus faſtidium cibi. Tum veſtem quam mox abiiceret, parum compoſuit, gladioque veluti pro more ſumpto, peruadit in hortum. Nec omiſere huic amentiæ familiares nugas. Iunxere ſtrictis amplexibus pectora quæ mox confoderent, & inanem veniæ fucum crudeli piaculo permiſerunt; ſcrutatiq; patētes ferro ſinus, mox quiſque ſuam, quiſq; alienam aciem intuebatur Sed facinus differente fortuna auertere bis eluſos ictus; ſemel breuiore ſica, iterum obliqua fuga pectoris in la-

tus auersi: tandem Callion, vt ira iustior obfirmauerat manum, aduersum violentius ensem repulit, gladiumque in crus inimicum altius imprimens, firmitatem subcidit vestigij. Ille corpus ægrum in terram deducens non omiserat ensem, sed animo supra vires forti Callionem iterum vocabat in pugnam, & ferrum debili manu rotans fortunæ iniquioris imperium negabat admittere. Contra victor, ne fortitudinem suam in odium vocaret, negabat se adiuturum vrgentia Fibullium fata; clementiamque fouebat nulla ignauiæ suspicione damnatam.

Igitur postquam Fibullium exorauit, ne vinci vlterius vellet, reducit in domum, ac mirantibus nobis infirmitatem cruris, in culcitram dextra ad scrupulum parcẽte reponit. Deinde valuis diligentius munitis redeunt in gratiam, crebris amplexibus eiurantes memoriam certaminis. Nihil eo fœdere integrius si hoc alia victima quam meo capite sanxissent. Nam dum amabili colloquio

per-

periculi causasrepetunt,nec de se amplius,sed de fortuna querũtur:quid autem, inquit, Callion, in te miser Euphormio peccauerat,quem etiam tuis olim literis mihi chariorem esse volebas?Hic Fibullius, vt acerbitatem vulneris meo veluti fato leniret, docet à me oblatum remedium, quod, inquit, morbi mei atrocitatem, ne quid mentiar, distulit. Tuum autem, quod tantopere commendaueras,vltro irrisit nequissimus seruus, neq; à te prius literas tradidit, quam suæ perfidiæ meam valetudinem permisissem. Cumq; aliquantulũ leuata mali violentia inducias mecum faceret, hanc epistolam,quam tibi à me reddidit(fateor) vt subscriberem; ingenti sanitatis promisso compulit. Quid audacia verba referam, quid subtiles sceleris artes,talentumq; velut coemendis medicamentis emunctum; Miraris igitur me illius pœna gauisum, à quo fœdissime delusus sum, sic iam vt me credulitatis meæ pudeat; Nam redeuntib. subinde tormentis grauiore metu pẽdeo, ne infelix latẽ-

rum fertilitas longe funestissimos partus creet.

Videbam diligentiori cura per rimam ostij colloquentium frontes. Cumque formidolosa mihi esset recõciliatio tam familiaris, diffusa temere familia stabam solus ad valuas, & alternas aures laxis opponens compagibus: tum etiam interdum oculorum iudicio metiebar salutem meam; gnarus furiosa magnatum odia illorum sanguine placari, qui controuersias seu forte seu malitia incenderunt. Veluti arborum fissuræ, quas ictu sonanti distendit agricola, non nisi post fractos aut expulsos cuneos redeunt. Tum Callion, vt obtutum in terram defixit, trucique vultu minax immanissimi in me odij acerbitatem cõcepit, percunctabatur de Percante, an illi quoque consilium meum placuisset. Sed non erat Fibullio animus, gratuita iniuria in se Percantem concitare tum vt illo teste meam maturaret perniciem, tum ne sales aperiret, quibus ipse accusator in Callionem luserat,

O di, si vestras tangeret mortalia curas,
Di, quibus imperium cœli, qui nigra tenetis
Tartara, & vndosi queis sæua potentia ponti,
Aspicite hæc. tuque, ô victor, quicunque deorum es,
Cui labor infelix, & noxia munera surgunt,
Res turbare hominum, non hac tibi mole seueræ
Tempestatis opus. Iacuissem vulnera paruo,
Semianimis paruo cecidisset vulnere ceruix
Heu pietas, annon ignota occumbere dextra
Infelix potui, tantosque euadere luctus,
Nec saltem cecidisse nocens? proh impia fata,
Crudelesque deos. Illum illum reddite campum,

Reddite, funereasque cruces, & vincula collo.
Hac tantum mihi morte salus. Sat funera viuus
Excepi, atque vno repetitas corpore mortes.

Etenim Callion furore sæuissimo ardens ad ostium procurrit, ac Euphormionem Percantemque turbata voce appellans, non tam cędis metum, quam desiderium attulit. Sed cum intrassemus in thalamum, statim Percantem à me Fibullius seduxit, arcessitumque ad colloquiũ, dũ in me atrocissimis verbis Callion desæuit, pestilenti imbuit fraude. Sic vt in illa tempestate nonnunquam animus procellis excelsior consideraret versatilem hominum mentem, à virtute & amicitię charitate tam facile in perfidiam ac scelus degenerantem. Nam vrgebat etiam vltra imperiũ domini paulo ante fidelissimus comes: quoniam eiusdem particeps culpæ sic amoliebatur omnem criminis suspicionem.

Tum

Tum iussus accipere plagas sexaginta, ac præterea seruiles in fronte literas, quas adhuc omiserat qualiscunq; domini clementia, Percanti tanquam acerbissimo vindici trador; cũ hæc mecum cogitare cœpi, tolerabilem Percantis esse laruam, qua dominum palam demereri studuisset. Iam vt secreto licuerit amicitiæ sacramentum seruare, haud dubie pietate ac misericordia meriturum, vt dissimulationis offendiculum ex animo delerem. Sed ille nequaquam mitigatus domini absentia, tam immaniter supplicem contempsit, vt inciperem oculorum fidei timere, & notissimæ frontis vestigia perscrutari. Charissimi sodalis tergum mille verberibus distinguebat, etiam vltra imperatę numerum pœnæ. Et literis deinde crudeliter inustis, non altissimam modo consumpsit frontem, sed indicium seruitutis pene ad oculos ipsos deduxit.

Igitur iam Pedo, iam cæteri notæ nequitiæ serui, conceptam in me iram in misericordiam verterant. Ac præcipue

Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Disce supercilium deponere, disce cauere
Ante pedes foueam, quisquis sublime minaris.
Peruulgata viget nostri sententia Christi,
Scandere celsa humiles, & ad ima redire feroces.
Vidimus horrendum membris animisq; Goliam,
Inualida cecidisse manu, puerilis in illum
Dextera fundali torsit stridore lapillum,
Transiectamque cauo penetrauit vulnere frontem.
Ille minax, rigidus, iactans, truculentus, amarus,
Dum tumet indomitum, dum formidabile feruet,
Dum sese ostentat clypeo, dum territat auras,
Expertus pueri quid possint ludicra parui,
Succubuit teneris bellator turbidus armis.]

Videbam conciliabula conspirantis familiæ, & aspernantis secundum hoc seruitutis miserrimæ iugum; poteramq;

Et bonos mores malorum adulterant commercia.

Ex arenæ paruitate funis effici nequit.

Facile cor humanum adhæret quæ frequentat omnibus.

Haud facile in bonum coitur, in malum facillime.

Immersus luto necesse est sit luto vndique oblitus.

Improborum consuetudo monstra morum procreat.

Interior iniuste socius superiori seruiat.

Mundi amor Deique in vno haud hospitantur pectore.

Ne cum malefico vsum vllius consociet rei bonus.

Nec vitiũ virtuti, nec vitio virtus vnquam est comes.

Nemo adhuc vidit iugatum Sobriæ luxum Deæ.

Non bonos rus aut malos vrbs addit, est sodalitas.

Non iacent vno in cubili Terror ac Clementia.

Non potest diu conuenire otio ac negotio.

Non

Non potest venire in vnum seruitus locum ac fides.

Non venit persæpe in vnum Robur ac Prudentia.

Nulla vi coire possunt, quæ naturâ dissident.

Nullius boni sine socio iucunda est possessio.

Nunquam Amor moratur vna sede cum Calumnia.

Nunquam easdem ædes subintrant Beneuolentia ac Dolus.

Pauper atque Diues haud sunt iuge contubernium.

Plurium contagiosa vbique conuersatio est.

Plurimo sodale rixa, pertinax opinio est.

Præda fit niso columba, quæ columbas deserit.

Qui cœno se immiserit, cœno est necesse sit oblitus.

Qui malo fuit sodalis, iam nequit dici bonus.

Rara copula est Prudentiæ atque Fortitudinis.

Res suas nemo florentes misceat cum perditis.

Roboris Prudentiæq; rara valde copula est.

tus auersi:tandem Callion, vt ira iustior obfirmauerat manum, aduersum violentius ensem repulit, gladiumque in crus inimicum altius imprimens, firmitatem subcidit vestigij. Ille corpus ægrum in terram deducens non omiserat ensem, sed animo supra vires forti Callionem iterum vocabat in pugnam, & ferrum debili manu rotans fortunæ iniquioris imperium negabat admittere. Contra victor, ne fortitudinem suam in odium vocaret, negabat se adiuturum vrgentia Fibullium fata; clementiamque fouebat nulla ignauiæ suspicione damnatam.

Igitur postquam Fibullium exorauit, ne vinci vlterius vellet, reducit in domum, ac mirantibus nobis infirmitatem cruris, in culcitram dextra ad scrupulum parcere reponit. Deinde valuis diligentius munitis redeunt in gratiam, crebris amplexibus eiurantes memoriam certaminis. Nihil eo fœdere integrius si hoc alia victima quam meo capite sanxissent. Nam dum amabili colloquio

periculi causasrepetunt, nec de se amplius, sed de fortuna queruntur: quid autem, inquit, Callion, in te miser Euphormio peccauerat, quem etiam tuis olim literis mihi chariorem esse volebas? Hic Fibullius, vt acerbitatem vulneris meo veluti fato leniret, docet à me oblatum remedium, quod, inquit, morbi mei atrocitatem, ne quid mentiar, distulit. Tuum autem, quod tantopere commendaueras, vltro irrisit nequissimus seruus, neq; à te prius literas tradidit, quam suæ perfidiæ meam valetudinem permisissem. Cumq; aliquantulũ leuata mali violentia inducias mecum faceret, hanc epistolam, quam tibi à me reddidit (fateor) vt subscriberem; ingenti sanitatis promisso compulit. Quid audacia verba referam, quid subtiles sceleris artes, talentumq; velut coemendis medicamentis emunctum; Miraris igitur me illius pœna gauisum, à quo fœdissime delusus sum, sic iam vt me credulitatis meæ pudeat; Nam redeuntib. subinde tormentis grauiore metu pẽdeo, ne infelix late-

rum fertilitas longe funestissimos partus creet.

Videbam diligentiori cura per rimam ostij colloquentium frontes. Cumque formidolosa mihi esset recõciliatio tam familiaris, diffusa temere familia stabam solus ad valuas, & alternas aures laxis opponens compagibus: tum etiam interdum oculorum iudicio metiebar salutem meam; gnatus furiosa magnatum odia illorum sanguine placari, qui controuersias seu for e seu malitia incenderunt. Veluti arborum fissuræ, quas ictu sonanti distendit agricola, non nisi post fractos aut expulsos cuneos redeunt. Tum Callion, vt obtutum in terram defixit, trucique vultu minax immanissimi in me odij acerbitatem cõcepit, percunctabatur de Percante, an illi quoque consilium meum placuisset. Sed non erat Fibullio animus, gratuita iniuria in se Percantem concitare tum vt illo teste meam maturaret perniciem, tum ne sales aperiret, quibus ipse accusator in Callionem luserat,

O di, si vestras tangeret mortalia curas,
Di, quibus imperium cœli, qui nigra tenetis
Tartara, & vndosi queis sæua potentia ponti,
Aspicite hæc, tuque, ô victor, quicunque deorum es,
Cui labor infelix, & noxia munera surgunt,
Res turbare hominum, non hac tibi mole seueræ
Tempestatis opus. Iacuissem vulnera paruo,
Semianimis paruo cecidisset vulnere ceruix
Heu pietas, annon ignota occumbere dextra
Infelix potui, tantosque euadere luctus,
Nec saltem cecidisse nocens? proh impia fata,
Crudelesque deos. Illum illum reddite campum,

Reddite, funereasque cruces, & vincula collo.
Hac tantum mihi morte salus. Sat funera viuus
Excepi, atque vno repetitas corpore mortes.

Etenim Callion furore sæuissimo ardens ad ostium procurrit, ac Euphormionem Percantemque turbata voce appellans, non tam cędis metum, quam desiderium attulit. Sed cum intrassemus in thalamum, statim Percantem à me Fibullius seduxit, arcessitumque ad colloquiũ, dũ in me atrocissimis verbis Callion desæuit, pestilenti imbuit fraude. Sic vt in illa tempestate nonnunquam animus procellis excelsior consideraret versatilem hominum mentem, à virtute & amicitię charitate tam facile in perfidiam ac scelus degenerantem. Nam vrgebat etiam vltra imperiũ domini paulo ante fidelissimus comes: quoniam eiusdem particeps culpæ sic amoliebatur omnem criminis suspicionem.

Tum

Tum iussus accipere plagas sexaginta, ac præterea seruiles in fronte literas, quas adhuc omiserat qualiscunq; domini clementia, Percanti tanquam acerbissimo vindici trador; cũ hæc mecum cogitare cœpi, tolerabilem Percantis esse laruam, qua dominum palam demereri studuisset. Iam vt secreto licuerit amicitiæ sacramentum seruare, haud dubie pietate ac misericordia meriturum, vt dissimulationis offendiculum ex animo delerem. Sed ille nequaquam mitigatus domini absentia, tam immaniter supplicem contempsit, vt inciperem oculorum fidei timere, & notissimæ frontis vestigia perscrutari. Charissimi sodalis tergum mille verberibus distinguebat, etiam vltra imperatę numerum pœnæ. Et literis deinde crudeliter inustis, non altissimam modo consumpsit frontem, sed indicium seruitutis pene ad oculos ipsos deduxit.

Igitur iam Pedo, iam cæteri notæ nequitiæ serui, conceptam in me iram in misericordiam verterant. Ac præcipue

Percan-

Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Disce supercilium deponere, disce cauere
Ante pedes foueam, quisquis sublime minaris.
Peruulgata viget nostri sententia Christi,
Scandere celsa humiles, & ad ima redire feroces.
Vidimus horrendum membris animisq; Goliam,
Inualida cecidisse manu, puerilis in illum
Dextera fundali torsit stridore lapillum,
Transiectamque cauo penetrauit vulnere frontem.
Ille minax, rigidus, iactans, truculentus, amarus,
Dum tumet indomitum, dum formidabile feruet,
Dum sese ostentat clypeo, dum territat auras,
Expertus pueri quid poßint ludicra parui,
Succubuit teneris bellator turbidus armis.]

Videbam conciliabula conspirantis familiæ, & aspernantis secundum hoc seruitutis miserrimæ iugum; poteramq;

fortassis adiuuare mussantes, ni timuissem pœnas consilii solus dare, quod mihi soli non quæsissem. Ac præterea legeram Epitaphium Sibronii Consulis, quod in quodam libello in hæc verba conceptum est: *Depositum Sibronij Consulis, qui Lutentium bono acerrimam consecrauerat mentem, domi forisque clarissimus, omnium in iuuanda patria princeps. Quem amplissimis in Rempublicam meritis clarum populus interfecit, ne dissimilem exitum sortiretur priscis Rerumpubl. carum patribus, quorum semper exemplo vixerat.*

Tutius ergo ratus Percantis gratiam machinis omnibus adoriri, illo curas omnes intenderam, ne quod officii genus omitterem. Sed iam noster Athenion philosophiam proiecerat, & in hæc vitia vt primum potuit lapsus, quæ quondam in aliis tam seuerus censor notauerat, aspernabatur affectatum obsequium, totius familiæ adulationibus lassus. Et præterea si me humanius appellasset, timebat, ne homines meminissent communis nostræ sortis.

Mihi tamen aliquantum profuit tam inexpectata fastidii atrocitas, & documento fuit, quam multis cautionibus intima familiaritas ineunda sit cum ignoto.

[*Et tum demum illa praclara monosticha mentem agram subibant, quasi dudum animaduersa fuissent, hoc quicquid erat incommodi, facile auferre potuissent: sic autem crebro mecum voluebam:*

Ah, bonus rei vsum vllius cur consociat cum malo?

Ad malos malum se confert, ad bonos confert bonum.

Alteri qui facile iungitur, is facile & disiungitur.

Copulam haud ferunt eandem luxus ac frugalitas.

Dexteram laua amputare vltima est amentia.

Dimidium boni diuidere cum Ioue si licet, sat est.

Diuitis statim atq; egeni soluitur sodalitas.

Eloquentia ac tyrannis sede nunquam vna manent.

Non potest venire in vnum seruitus locum ac fides.

Non venit persæpe in vnum Robur ac Prudentia.

Nulla vi coire possunt, quæ naturâ dissident.

Nullius boni sine socio iucunda est possessio.

Nunquam Amor moratur vna sede cum Calumnia.

Nunquam easdem ædes subintrant Beneuolentia ac Dolus.

Pauper atque Diues haud sunt iuge contubernium.

Plurium contagiosa vbique conuersatio est.

Plurimo sodale nixa, pertinax opinio est.

Præda fit niso columba, quæ columbas deserit.

Qui cœno se immiserit, cœno est necesse sit oblitus.

Qui malo fuit sodalis, iam nequit dici bonus.

Rara copula est Prudentiæ atque Fortitudinis.

Res suas nemo florentes misceat cum perditis.

Roboris Prudentiaq; rara valde copula est.

bit in turpissimum monstrum. Primum amplissima virtus non vbiq; sui capaces animos inuenit; & magnas deinde mentes plerunque occupant eiusmodi vitia, quib. nullũ est cũ hac diua cõmercium. Igitur cum maximam mortaliũ partem (fas sit eloqui) aut parũ supra pecudes, aut certe infra magnitudinẽ, quã requirimus, fata posuerint; ac deinde fatum sit magnis hominibus, vt similẽ alterius indolem, quam ament, nanciscãtur, plura sunt ad amicitię aram donaria nuncupantium vota, quam exoluentium. Illud autẽ in amicitia præcipua religione custodiendum est; vt quemcunque exitum habuerint amici negotia, eundem tuis esse statuas. Ne illi obsignatæ arcæ, ne clausa mens, ne corpus ad laborẽ tardũ elangueat, vt mutuo solatio (qui maximus est amicitiæ fructus) penitiores audeas curas in fidos sinus effũdere. Vt iocari, & animum lætius diffundere, irasci etiam interdum possis, & exercentes sese impetus non celare: quoniam neminem suis vitiis carere Natura voluit.

His

His neceſſitatibus, quibus finem nulla lex præſcripſit, poſiturus chariſſimam libertatem, diu ante videndum eſt, cui te naui credas. Nam in eam peruadere pœnitentia poſſit, vt, quã felicitatis ſedem duxeras, ea te moleſtiſſimo carcere teneat. Quanquam illa ſpes puerorum deponenda eſt, quibus nihil promptum eſt aggredi, niſi iucunditatem aſſiduã ſtulta mens fingit. Aſperi ſæpe caſus incurrunt in amicitiam, & tam affligere poteſt ruina ſodalium, quam felicitas mulcere. Itaque nec amicitia turpibus niti fundamentis poteſt, vt lucri cupiditas induat præſtantiſſimos vultus; nec impetui, cui neſcio quod inueniam nomen, exemplo parendum eſt, qui nos ſæpe nullo rationis auſpicio ad amandum impellit. Alioqui ſera pœnitentia reflectet in tergum ſtultiſſimam ceruicem, vt ſaltem oculis repetat portum, quem egreſſa eſt; & ceſſantibus illis motibus, qui velut melle conditi ad amandi ſuauitatem egerant, deſtituetur præcipuis ſolatiis amicitia, & in illa morabitur eſca, cuius

nauſea

nausea assidui fastidientem stomachum premet.

Cæterum quibus opes charitate potiores sunt, ii sese vltro excluserunt ab amicitiæ limine, & quanquam dissimilimo vitio, ii quorum luxuries nullo patrimonio impletur. Præterea qui linguæ modum nesciunt, aut qui vana facilique indole, diuersis occupati amicitiis, & futili initio amorem ordiuntur, & inepte deponunt. Nam in eorum animis ita trudit pridianam familiaritatem enascens hodie affectus, vt qui iamiam extuberantem pluuiam alius imber obruit. Duorum aut trium conspirans beneuolentia illam felicitatem componet, quam Dionysius auro grauis, & ægre sustinens potentiæ suæ molem, non inuenit. Nam si plurib. potestatem animi facis, sacrilego furto detrahēdum est prioribus tempus, & affectus, quem in nouos impendas. Præterea conditionum disparitas sæpe nascentem in cunis amicitiam iugulat. Quoniam vt diuturnus nō est amor, qui sola iurgandi ac feriendi

licentia (velut æqualitatis indiciis) constat; ita familiaritate alitur, & quodammodo mutuos sales, velut ad quotidianum pastum quærit.

Sed & funestissimo didici experimento amantium vota in hoc esse arctanda; ne nimium sodales euehi cupiāt. Quamdiu Percas meam parum sortem excessit, tamdiu hæsit charitatis constantia. Deinde vt in altum euectus cœpit despicere humilitatem meam; sic egit, vt non hominem, sed diuitias peccasse arbitrer.

Dum hæc diligentius pensabam, & quærebam à sapientia auxilium, intrauit domum nostram mulier, vt videbatur, nobilis, magnoq; comitatu tenuissimæ vestis modestiam excusans. Nulla erant circa collum vincula, quæ morarentur transeuntium mentem. Nō stalagmium erat, non spinther, non spathalion, non purpura aureis clauis fulgens. Notabiles erant bullæ varia magnitudine distinctæ, quibus onustum cingulum nonnihil deflexerat. Illa vt ad Fibullium ex

vulnere ægrum admiſſa eſt, & notiſſi-
mam frontem eruit defluentibus velis,
hominem admiratione prope ad ſtupo-
rem deduxit. Erat enim Lapicia, Fibullii
ex Vocula fratre neptis, mulier genere
ac diuitiis, ſed præcipue fama præſtans:
quę adhuc adoleſcens, cum illi iuuenem
maritum morbus abſtuliſſet, iterum nu-
bere ſeu conſtans ſeu pertinax abnue-
bat. Inſiluit Callion in ceruicem, longa
neceſſitudine familiaris, & rogo, inquit,
domina, quæ te in has terras fortuna de-
duxit? amœnitas, puto, regionis, &
ſuauior populi cultus. Aut ſi hæc non
ſunt, nunquid te tua venatrix cœlebs
Diana compulit in hos montes, & ne-
mora, pene qualia circa Stygem pingun-
tur? Tum illa, vt ſe templum religionis
niræ, quod vltra Alpium clauſtra coli-
ur, inuiſiſſe docuit, quod bis ab hoſti-
us petitũ, bis diuino volatu eluſerit fu-
entiũ manus, cœpit rogare, quod vul-
us Fibullium afflixiſſet. Vtque per am-
ages intellexit pugnæ demẽtiam, tan-
uam ſola peccare neſciret, mille geſti-

bus auersata est improbissimum scelus. Ridebam ego pietatis superbiam, cum illa homines arcessiri iussit, quot habuerat viæ comites, ac seuerioris disciplinæ magistros; quorum certe tumulis, si morientur, saltem exemplo Metelli, coruum debebit.

Horum vnus, quoniã Bonæ sortis ac ominis erat, intrepido vultu præcessit. Alter semicãdida veste, nec auare manicata, sequebatur. Qui vt intrauerũt thalamum, ea salutatione, quæ professionẽ proderet studiosorum, pene risum expressere spectantibus. Ac deinde magna volubilitate sermonis, omnes sibi vices tradidere loquendi. Non Callioni, non Fibullo, non ipsi Lapiciæ permissa vox: sed illi, velut theatrum ascendissent, aut ineptiæ suspicionem per audaciam loquendi tollerent, varie Sanctorum dicta factaque nimis oppido tenaci memoria recensebant. Quanquam, nisi fallebar, ita apposite, vt sæpius Cadmus, quam Harmonia canere videretur. Ac dum modo in scientias ludunt humani iudi-

ces

ces recti, modo coniugium frigidissimo sale proscribunt, paulatim ad differendum lapsi, iam acriter cœperunt contendere, vt res meo iudicio ad manus pugnamq; spectaret. Vix restabant sedilia lacertis pulsantibus, & ipsę manus vehementius productæ aerem pene in sibilum cogebant. Cohorruere omnes ad diuini strepitus miraculum, & nobis, quotquot Romani sermonis expertes non eramus, audiendi curiositas altissimum silētium indixit. Sed illi, quæ confusa & indigesta mente cōceperant, tanta intelligendi difficultate fundebant, vt non modo non Latine, sed nec humane loqui crederem.

[*Illi quidem cum rideri se ab instantibus, ob sermonis ruditatem animaduerterent: Ridetis, inquiunt, meam vocem, quoniam non plane exquisite Romanas literas profero. Anacharsis apud Athenienses balbutit. Athenienses vero apud Scythas. Non vocibus homines hominibus præstant, ad promerendam laudem & gloriam, sed animis ac sentētiis, quemadmodum Græci et-*

Attice, sed rebus gestis clari sunt & celebres. Non vituperant Scythæ sermonem, qui, quid faciendum sit, planum facit, neque laudant eũ, qui nihil boni differat. Multa vos etiam administratis, nihil curãtes vocem, quæ non distincte verba pronũciet. Adducitis medicos AEgyptios. Gubernatoribus vtimini Phœnicibus. Emitis in foro, neque plus æquo datis his, qui Græce loquuntur, neque pigre capitis à Barbaro, si iusto pretio vendant. Reges Persarum, & illorum amici cum maximos animos gerant, tamen quando Græcorum legatis Græca voce loqui volunt, balbutiunt, quorum vos neque consilia, neque res gestas reprehenditis. Sermo autem non est malus, cum sunt consilia bona, & recte facta sequuntur post verba. Scythæ vero iudicant prauum sermonem, cum à prauis cogitationibus manat. Multis rebus destituemini, si Barbaris linguis succensebitis, & idcirco dicta non accipietis. Multos enim reddetis segniores, ad cõsulendum de vestris commodis. Cur Barbaricas texturas in pretio habetis, vocem autem Barbaram non probatis? Tibicinum & cantorũ voces concinnas requi-

ritis,

ritis, & Poetis carmina facientib. animũ attenditis, etiamsi non Græcis literis metra repleant, & loquentiũ dicta spectatis. Finis enim horũ ad vtilitatẽ refertur, & cum Barbaris obeditis, vxorib. & liberis non permittetis. Et vobis obediunt, si balbutiatis. Melius est enim balbutientibus morem gerere, vt sis incolumis & saluus, quam exquisite loquentibus Attice obsequi, vt magnum accipias damnum & detrimẽtum. Imperitorum hoc hoc est & inertium, viri Athenienses, Sapiẽs enim id nunquam in animum induxerit.]

Iam non inter se ipsi, iam se quisq; nõ intelligebat; cum vterque vinci arbitrio spectantium nollet, & in hoc victoriam poneret, si prior non destitisset loqui. Igitur horas pene quatuor præliantium æstus absumpsit, cum id vnum quærerent, *num ad syllogismum sit necessaria conclusio.* Cumque cresceret difficultas per obscurissimæ disputationis noctem, tandem erupit ille, qui semicandidam vestem pene sudanti fumo fucauerat, & consumptis subtilitatibus prouocauit ad iniurias; vt qui attrito ense fra-

ctoue destitutus gladiator, ad luctam, velut ad compendium pugnæ æmulum strictis amplexib. cogit. Tu vero, inquit, ineptissime, mihi etiam controuersiam moues, tanquam in meo regno non essem, id est, tanquam alius id, de quo agimus, aut laboriosius quæsiuisset, aut felicius inuenisset? Testes sanctissimæ domus nostræ parietes, qui toties ad laterum meorum vires obstupuerunt; dum non minus menses quatuor adolescentes nostros declamando & scribendo exerceo, ne hac semel quæstione, vt oportuit, excussa, quid de ea amplius à quoquam discere possent. Vix ducentis horis legas, quæ in hanc materiam ex pluribus authorum millibus solita breuitate decerpsi. Neque est aliud, quod te iam in disputationem trahat; nisi quod vt testes in nostram dicaces familiam, id demum existimatis ad gloriam vestram facere, si aliquid ex nostris moribus doctrinaque carpetis. Vos, quod antiquitatis austeritate nostra paulatim viuendi consuetudo deflexerit, quod

opulentior cultus, quam quem authores dictauerint nostri, priuata nonnunquam cubilia instruit; quod in necessarios quisq; sumptus pecuniam, quod in hyemem vestes, in exercitationem libros, extra cæterorum communionem prospicit, ingentibus monstris effertis, totamq; pscribitis domũ. Si ex æmulatione, indignor. si ex vero dolore, misereor medius fidius stuporis vestri, quos plus aliena mala cruciant, quam quæ vestra pcordia fœdissima tabe consumunt. Vtrum est enim deterius, fruticũ instar omni vento permittere fragilitatẽ suã; an pertinaci ad obsistẽdum trunco concitare flaminum superbiam, quæ radicem vim concitati aeris despicientem euertant? Nos vt prisci seculi ratio tulit, selegimus abhorrentem ab ea, quæ iam in vsu est, vitam. Mutatione deinde temporum facta, & vertentibus omnium cum ætate ac seculo moribus, non abnuimus his tempestatibus agi, diuersisque præceptis familiam imbuere, vt ramis ac frondibus sese ad fortunæ nu-

tum torquentibus, clementior ventus, & ipſa victoria facilis, radicibus parcat. Vos autem imaginem antiquitatis ſcrupuloſiſſime conſeruantes, quæ non, dii boni, ludibria, qui non meliorum mentium ſales & ioci conſequuntur? Quid prima ſcholam veſtram ineuntium pugna; cum ſolus tyro apud rudem ignarumque ſatellitem deſtinato clauſtro declamat, & aliquot ſententiolis ſolitariam domum affatus, ſibi auditor, ſibi teſtis, ſibi iudex, interdum etiam petulantiſſimus irriſor exiſtit? Huic rei non inuenio nomen, ſi non eſt indigna affectatæ antiquitatis vanitas, vel ſtulta religio, exſcindere horrentium, quod iam ipſi authores tollerent, ſi eorum manes conſuleretis. Quid deinde conuiualis inter vos laudatio? quid à nobis ſumptus extorti, quos egenos non eſſe damnatis? quid ille veſter ductor nō niſi quaternis in die epulis ſatur? quid eiuſdem veſpertina cum tyronibus repetitio, cui ſtatim epulæ, veluti mercede conſtituta ſuccedunt?

Iam vero de pietate veſtra nihil diſputo; modo illam ſcrutari omiſeris partem in nobis. Alioqui non qua latebræ celant excutiam, aut in re dubia quæram facinoris ſuſpicionem. Quæ vulgo, quæ palam in famam veſtram tela iaciuntur, aſſumam. Ambitus, ac periurii crimen. Infremuit Callion tam inexpectato commotus iudicio. Iam Fibullius, iam Lapicia, velut ad miraculum, vocem non inueniebant; ac ipſe præcipue vates, cuius domus tam fœda ſpargebatur infamia ad inſaniem rabiemque properabat; cum alter, vtinam, inquit, tantam ad peccandum verecundiam attuliſſes, quantũ ad excuſationem audaciæ. Non magnifico per vrbem equo delatus potentiorum forib. toties aſſediſſes. Non interdiu amicos ac ſocios, noctu animum ad fraudem & iniuriam acuiſſes, vt illis ad veſtrum ordinem aſcendentibus, qui quadrienni rudimento metuiſſent, is princeps non eſſet, quem & eruditionis ſuffragium, & populi expectatio in hunc locum manu ducebant. Et

licentia (velut æqualitatis indiciis) constat; ita familiaritate alitur, & quodammodo mutuos sales, velut ad quotidianum pastum quærit.

Sed & funestissimo didici experimento amantium vota in hoc esse arctanda; ne nimium sodales euehi cupiãt. Quamdiu Percas meam parum sortem excessit, tamdiu hæsit charitatis constantia. Deinde vt in altum euectus cœpit despicere humilitatem meam; sic egit, vt non hominem, sed diuitias peccasse arbitrer.

Dum hæc diligentius pensabam, & quærebam à sapientia auxilium, intrauit domum nostram mulier, vt videbatur, nobilis, magnoq; comitatu tenuissimæ vestis modestiam excusans. Nulla erant circa collum vincula, quæ morarentur transeuntium mentem. Nõ stalagmium erat, non spinther, non spathalion, non purpura aureis clauis fulgens. Notabiles erant bullæ varia magnitudine distinctæ, quibus onustum cingulum nonnihil deflexerat. Illa vt ad Fibullium ex

vulnere ægrum admiſſa eſt, & notiſſimam frontem eruit defluentibus velis, hominem admiratione prope ad ſtuporem deduxit. Erat enim Lapicia, Fibullii ex Vocula fratre neptis, mulier genere ac diuitiis, ſed præcipue fama præſtans: quę adhuc adoleſcens, cum illi iuuenem maritum morbus abſtuliſſet, iterum nubere ſeu conſtans ſeu pertinax abnuebat. Inſiluit Callion in ceruicem, longa neceſſitudine familiaris, & rogo, inquit, domina, quæ te in has terras fortuna deduxit? amœnitas, puto, regionis, & ſuauior populi cultus. Aut ſi hæc non ſunt, nunquid te tua venatrix cœlebs Diana compulit in hos montes, & nemora, pene qualia circa Stygem pinguntur? Tum illa, vt ſe templum religionis miræ, quod vltra Alpium clauſtra colitur, inuiſiſſe docuit, quod bis ab hoſtibus petitũ, bis diuino volatu eluſerit furentiũ manus, cœpit rogare, quod vulnus Fibullium afflixiſſet. Vtque per ambages intellexit pugnæ demẽtiam, tanquam ſola peccare neſciret, mille geſti-

bus auersata est improbissimum scelus. Ridebam ego pietatis superbiam, cum illa homines arcessiri iussit, quot habuerat viæ comites, ac seuerioris disciplinæ magistros; quorum certe tumulis, si morientur, saltem exemplo Metelli, coruum debebit.

Horum vnus, quoniã Bonæ sortis ac ominis erat, intrepido vultu præcessit. Alter semicãdida veste, nec auare manicata, sequebatur. Qui vt intrauerũt thalamum, ea salutatione, quæ professionẽ proderet studiosorum, pene risum expressere spectantibus. Ac deinde magna volubilitate sermonis, omnes sibi vices tradidere loquendi. Non Callioni, non Fibullo, non ipsi Lapiciæ permissa vox: sed illi, velut theatrum ascendissent, aut ineptiæ suspicionem per audaciam loquendi tollerent, varie Sanctorum dicta factaque nimis oppido tenaci memoria recensebant. Quanquam, nisi fallebar, ita apposite, vt sæpius Cadmus, quam Harmonia canere videretur. Ac dum modo in scientias ludunt humani iudi-

ces recti, modo coniugium frigidissimo sale proscribunt, paulatim ad differendum lapsi, tam acriter cœperunt contendere, vt res meo iudicio ad manus pugnamq; spectaret. Vix restabant sedilia lacertis pulsantibus, & ipsę manus vehementius productæ aerem pene in sibilum cogebant. Cohorruere omnes ad diuini strepitus miraculum, & nobis, quotquot Romani sermonis expertes non eramus, audiendi curiositas altissimum silẽtium indixit. Sed illi, quæ confusa & indigesta mente cõceperant, tanta intelligendi difficultate fundebant, vt non modo non Latine, sed nec humane loqui crederem.

[*Illi quidem cum rideri se ab instantibus, ob sermonis ruditatem animaduerterent: Ridetis, inquiunt, meam vocem, quoniam non plane exquisite Romanas literas profero. Anacharsis apud Athenienses balbutit. Athenienses vero apud Scythas. Non vocibus homines hominibus præstant, ad promerendam laudem & gloriam, sed animis ac sentẽtiis, quemadmodum Græci et-*

Attice, sed rebus gestis clari sunt & celebres. Non vituperant Scythæ sermonem, qui, quid faciendum sit, planum facit, neque laudant eũ, qui nihil boni differat. Multa vos etiam administratis, nihil curãtes vocem, quæ non distinctè verba pronũciet. Adducitis medicos AEgyptios. Gubernatoribus vtimini Phœnicibus. Emitis in foro, neque plus æquo datis his, qui Græcè loquuntur, neque pigrè capitis à Barbaro, si iusto pretio vendant. Reges Persarum, & illorum amici cum maximos animos gerant, tamen quando Græcorum legatis Græca voce loqui volunt, balbutiunt, quorum vos neque consilia, neque res gestas reprehenditis. Sermo autem non est maius, cum sunt consilia bona, & rectè facta sequuntur post verba. Scythæ verò iudicant prauum sermonem, cum à prauis cogitationibus manat. Multis rebus destituemini, si Barbaris linguis succensebitis, & idcirco dicta non accipietis. Multos enim reddetis segniores, ad cõsulendum de vestris commodis. Cur Barbaricas texturas in pretio habetis, vocem autem Barbaram non probatis? Tibicinum & cantorũ voces concinnas requi-

ritis,

ritis, & Poetis carmina facientib. animũ attenditis, etiamsi non Græcis literis metra repleant, & loquentiũ dicta spectatis. Finis enim horũ ad vtilitatẽ refertur, & cum Barbaris obediatis, vxorib. & liberis non permittetis. Et vobis obediunt, si balbutiatis. Melius est enim balbutientibus morem gerere, vt sis incolumis & saluus, quam exquisite loquentibus Attice obsequi, vt magnum accipias damnum & detrimẽtum. Imperitorum hoc hoc est & inertium, viri Athenienses, Sapiẽs enim id nunquam in animum induxerit.]

Iam non inter se ipsi, iam se quisq; nõ intelligebat; cum vterque vinci arbitrio spectantium nollet, & in hoc victoriam poneret, si prior non destitisset loqui. Igitur horas pene quatuor præliantium æstus absumpsit, cum id vnum quærerent, *num ad syllogismum sit necessaria conclusio.* Cumque cresceret difficultas per obscurissimæ disputationis noctem, tandem erupit ille, qui semicandidam vestem pene sudanti fumo fucauerat, & consumptis subtilitatibus prouocauit ad iniurias; vt qui attrito ense fra-

ctoue destitutus gladiator, ad luctam, velut ad compendium pugnæ æmulum strictis amplexib. cogit. Tu vero, inquit, ineptissime, mihi etiam controuersiam moues, tanquam in meo regno non essem, id est, tanquam alius id, de quo agimus, aut laboriosius quæsiuisset, aut felicius inuenisset? Testes sanctissimæ domus nostræ parietes, qui toties ad laterum meorum vires obstupuerunt; dum non minus menses quatuor adolescentes nostros declamando & scribendo exerceo, ne hac semel quæstione, vt oportuit, excussa, quid de ea amplius à quoquam discere possent. Vix ducentis horis legas, quæ in hanc materiam ex pluribus authorum millibus solita breuitate decerpsi. Neque est aliud, quod te iam in disputationem trahat; nisi quod vt testes in nostram dicaces familiam, id demum existimatis ad gloriam vestram facere, si aliquid ex nostris moribus doctrinaque carpetis. Vos, quod antiquitatis austeritate nostra paulatim viuendi consuetudo deflexerit, quod

opulentior cultus, quam quem authores dictauerint nostri, priuata nonnunquam cubilia instruit; quod in necessarios quisq; sumptus pecuniam, quod in hyemem vestes, in exercitationem libros, extra cæterorum communionem prospicit, ingentibus monstris effertis, totamq; p̄scribitis domū. Si ex æmulatione, indignor. si ex vero dolore, misereor medius fidius stuporis vestri, quos plus aliena mala cruciant, quam quæ vestra p̄cordia fœdissima tabe consumunt. Vtrum est enim deterius, fruticū instar omni vento permittere fragilitatē suā; an pertinaci ad obsistēdum trunco concitare flaminum superbiam, quæ radicem vim concitati aeris despicientem euertant? Nos vt prisci seculi ratio tulit, selegimus abhorrentem ab ea, quæ iam in vsu est, vitam. Mutatione deinde temporum facta, & vertentibus omnium cum ætate ac seculo moribus, non abnuimus his tempestatibus agi, diuersisque præceptis familiam imbuere, vt ramis ac frondibus sese ad fortunæ nu-

Iam vero de pietate veſtra nihil diſputo; modo illam ſcrutari omiſeris partem in nobis. Alioqui non qua latebræ celant excutiam, aut in re dubia quæram facinoris ſuſpicionem. Quæ vulgo, quæ palam in famam veſtram tela iaciuntur, aſſumam. Ambitus, ac periurii crimen. Infremuit Callion tam inexpectato commotus iudicio. Iam Fibullius, iam Lapicia, velut ad miraculum, vocem non inueniebant; ac ipſe præcipue vates, cuius domus tam fœda ſpargebatur infamia ad inſaniem rabiemque properabat; cum alter, vtinam, inquit, tantam ad peccandum verecundiam attuliſſes, quantũ ad excuſationem audaciæ. Non magnifico per vrbem equo delatus potentiorum forib. toties aſſediſſes. Non interdiu amicos ac ſocios, noctu animum ad fraudem & iniuriam acuiſſes, vt illis ad veſtrum ordinem aſcendentibus, qui quadrienni rudimento metuiſſent, is princeps non eſſet, quem & eruditionis ſuffragium, & populi expectatio in hunc locum manu ducebant. Et

ſolennibus tamẽ verbis promiſiſtis, nec ambitu nec fauore paſſuros corrumpi iudicia veſtra, vt cuiquam ad hunc honorem aditus, niſi à virtutis ac meriti templo, pateſcat.

Videbatur nobis omnibus ipſum facinus ſuo nomine lenius, & quos atrocitas vocabuli ad honorem egerat, exiguæ rei momentum rapiebat in riſus. Cum acrius inſtitit declamator: Eruditionis vero, inquit, certamen non ineo; quoniam vinci vobis eſſet honeſtius, quam noſtræ familiæ certauiſſe. Ridete barbariem ſermonis inculti, quæ in maiorum noſtrorum libris nihil ſimplicib. animis inhæſiſſe fuci demonſtrat. Certe vos ſynceram doctrinam è noſtris hauritis fontibus: vos ſcientiam veluti è ſancta ruſticitate auocatis, ac figmentis orationum pictam iam id primum docetis. fallere, quod ſe pro veſtra gerat. Tum alter, vt omnem audiẽdi patientiam conſumpſerat: O mi, inquit, homo collige paululum redeuntem animum, vt cœca maledicendi licentia, ſi deſit, quod in

exter-

externos iactetis, etiam discat, quid in vobis damnare possitis. Eruditionem à vestris aliquam accepisse non pudebit confiteri, si vos in solam barbariei hæreditatem admissos ingenua professione firmatis. Sed agam lenius, & refutandi modestia tuam cõficiendi libertatem opprimam. Vitam, existimationem, instituta, non perstringam. Illud vnum interrogo, cur legibus vestris varia interpretatione distractis, vt hi nomẽ, illi vestem, plerique ceremonias ad discrimen induxerint, nondum reperti sint qui Latium vetent pronunciatione barbara violari, nondum qui indicere Tullio bellum? Quanquam quid frustra in arcana vestra intueor, vobis omnibus solitariis ęstimationibus cuncta reputare consuetis: vnde tuta cubiliorum secreta; vnde horribilis in iuniores sanctio, ne improuisi in seniorum sedes irrumpant.

Cum alia his similia, vel etiam frigidiora pararet, venit ab Archoropo nuncius, & diremit sterilissimam litem. Qui vt audiuerat in Italiam properare Fibul-

lium, vltorem iniuriæ quam minus bonis temporibus acceperat, cum ipse Archoropus domesticis implicato negotiis insultasset, direptis aliquot sarcinis, cum curribus, quibus ipsæ vehebãtur; primo nuncium occurrere iusserat, ipse deinde quam maximis sequebatur itineribus, nulla damna præ Fibullij odio æstimans, Igitur postridie, quam attulerat nuncius literas, Archoropus aduenit, tam magnifico cultu, vt illum vix animo, nedum oculis capere possem. Auri argentique omni fide copia maior, equorum nobilissimi greges, ingens seruorum numerus, & omnia velut ad pompam fastumque subornata. Tum ad deprecationem versus, vt sibi Fibullius satis fieri sineret, ideo exorare non poterat, quod inanis pompę ordo in supplice pro contumacia reputabatur: & hæc secum Fibullius lõga cogitatione pensabat, quid hic tantæ numerus familiæ? Quid sumptus in luxuriam vergens? Num assimulatione vanissima supra se magnos effingit? Num mei raritatem ministerij

ſpernit; & ſibi admirationem quærere, & meorum fidem corrumpere hac arte quæſiuit? Auxit hanc in Fibullio ſuſpicionem ambitioſa in nos Archoropi liberalitas, & pene ipſis accipientibus grauis. Nam vt illuxit dies alia, neſcio quot ex Fibullij & Callionis domo ſalutatum introiuimus, & Archoropi ſomnum exultantibus tympanis, tubiſque perfregimus: qui diſpenſatore qui nos cum ſportula dimitteret interrogante, tãtam effundi pecuniam iuſſit, quantam non caperet auiditas noſtra. Nec humilius quam erat locutus expediri munus iuſſit. Quippe productus eſt ſaccus ingens, numis argenteis plenus; permiſſuſq; diripientibus nobis, nunc onerantes ſinũ, nunc deprimentes laciniam veſtis, tandem gratiſſima fœcunditate laſſauit. Nihil vnquam eo munere plenius. Nam ſumendi cupiditatem muneris amplitudo exhauſerat.

Ego præcipue, iam ſpe animum in diuerſas curas intendẽte, ad ſolam onuſti corporis debilitatem argenti pondus

æſtimans, ab Archoropi beato limine poſtremus exceſſi, ſociiſque nunc pondere, nunc gaudio æſtuantibus, facinus ingens auſus, ad vendentem fucos intraui, & mutatis modico pretio vultibus, factoq; mihi Gelonis nomine, à miſerabili ſeruitio fugere cœpi. Ac cum dies aliquot locorum ignarus aberraſſem, tandem in eam regionem veni, vbi ſæuum & inſanũ mare coniuges conſultiſſimos habet. Hi priuignam iam olim Venerem admirati ſe ſuamque Cyprum barbaro permiſiſſe imperio matronarum pectora nudãt, & illius ſacra operoſius colunt, vt eximij lepores deam ad reditum inuitent. Nec iam Verona longe aberam, cum cuidam Apulo ex Gallia redeunti coniungor. Ille ſe Cæſarem vocari dicebat: cui ego, vtpote & itinerum docto, & in Vrbem aliquam tendenti, quam ego ſtudioſiſſime perquirebam, perſuaſi vt fœdus faceremus, neutrum à ſocio niſi perfecto demum itinere receſſurum. Quod cum pluſquam militari ſacramẽto firmaſſemus, Veronam peruenimus

incipiente primũ nocte & ad Antonium Cæſaris familiarem diuertimus. Is ea primũ cœna lactucis, naſturtio, columbiſq; lectiſſimis excepit; & ne, ſi ſolitarij dormiremus, nocturna prodigia mentem diducerent, gratiſſima benignitate prouidit. At vero qui ſequebatur dies, iam non vulgari menſa, ſed epulo pene cultus eſt. Tranſalpinæ ouis particula, & galli ſpadones plurimi viſebantur. Pauonum columbarumq; numerus, Turdorum etiam & Coturnicum pene examina; Iuuencæ preterea aliquot aduentum noſtrum ſua morte luerant; hortum diſpoliati amiſerant flores, & omnia ædium decor in triclinium noſtrum confluxerat. Cum deinde conſideremus ad menſam, pocillator ſingulis aſtitit, minaci fronte, vultu terribili, cuſtodię propius quam conuiuij ſatelles. Detraxerãt illi galeam, quam continuo inſtar Vulcanum fugientis Palladis g- ſtant; parmamq; aliquantum in latus deflexerat, vt inquietę paci pugnæ memoriam ſpargerent. Credebam æmulari Antonium

Do-

Domitianam mensam, ad quā olim proceres, cum omnia pullus color induceret, vrgerentq; sepulchrorum imagines, pene lethalis horror afflixit.

Celabam tam inuisi fastidium moris, fucumque timori prætendens, solicitabam Cæsarem, vt explicato conuiuij ordine, & deficiente iā fame, hospitem relinqueret, Nobis esse viam etiam præcipitantibus longam, & infestum, vt aiebant, latronibus iter non ostendere spem veniæ errantibus, si noctu nos in eiusmodi plagas nostra temeritas detulisset. Igitur Sole iam vltra altitundinem medię lucis producto Verona exiuimus, & passibus ter mille confectis, ruentem admissis frænis equum, ex attritu solidi primum campi, & ex concrepantibus deinde lupatis audimus. Erat equus Cygnorum niui æmulus, nisi crus alterum, & apertissimum pectus, sub cineritij pili fucarent, insidebat autem homo, ille scilicet, qui ad mensam astiterat mihi, vinum, & quæ illius artis sunt, serio cuncta dispensans. Agnoui ego irruentem,

tem, Cæſarique monſtraui, & cœpi vereri, ne quid ignorantes ab hoſpite tolleremus. Nec dubitaui quærere, quæ illum præcipitatio, vel quo gentium ferret; cum ille turpiſſimi nihil pudore facinoris tactus, vltro docuit, domini ſe iuſſu in medio foro primarij iuuenis cæde imbuiſſe manus. Iam in alterius ditionem vrbis contendere, & tum ad ſalutem peruenturum, cum exiſſet Veronæ ſuæ fines. Perceperam toto corpore horrorem frigidiſſimum, & velut inaudito ſcelere perturbatus, cũ iam hominem equi fuga pene à conſpectu noſtro tolleret: O memorabilem, inquam, Cæſar, audaciam! quid vnquam ex omni memoria tam atrox & luctuoſum referas, vt publici ſicarij non expectent equuleum, ſed velut glorioſum facinus ſponte confeſſi, omnes timere iubeant quoniam ipſi de ſe nihil timent? quid, inquam, ſimile omnibus monimentis accepimus, præter Fimbriæ factum? quem non credo proteruius vulnerato Scæuolæ inſultaſſe. Excuſare ſe Cæſar

erro-

errorem meum dixit, quod ad frequentissimum crimen obstupescerem ignarus sæuissimi moris, qui in illa regione pene omnium capita proscripsit. Equus, inquit, celeritate notus, & modici æris liberalitas, præmium erit homicidæ, qui vel lares domestico sanguine contaminabit; vel in publica luce barbaræ feritatis exemplo desæuiet. Venalis hominum vita est, & licitatores capitum nostrorum publice regnant: etiam pene infamiam consuetudo sustulit. Ac ne quidem tutæ amicitiæ, aut necessitudines periculo carent. locus forte, aut imprudens in fenestram aspectus, secretissimo scelere vindicatur. Sæpe in ferrum tutos venena sustulerunt, aut facis illitæ fumus, aut corrupta floris suauitas, aut fatalis cultelli acies, qui eodem tempore & intactam liberis dapem difficit, & aduersario mortem.

[*Ipsorum autem venenorum plura genera, plura nomina sunt: diuersi etiam effectus. Aliud ex radicibus herbarum contrahitur, aliud ex animalibus mortiferis reseruatur. sunt*

quæ

quæ frigore ſanguinem gelent, ſunt quæ calore nimio vitalia exurant. omnia tamē hæc ſub vnam legem veneficii veniunt. Quin illud etiam in rerum natura manifeſtum atq; deprehenſum eſt, alia eſſe aliis venena. quædam mortifera nobis, etiam in remedium quorundam animalium cedunt: quædā quæ in voluptates etiam & luxuriam adhibentur, multis animalibus adferunt mortem. Similis ratio & remediorum eſt.

Æterna ſunt ſemel læſæ mentis vulnera & plures reconciliatio, quam profeſſum odium extinxit. Hæc ipſa quam modo reliquimus ciuitas, quale ſæuitiæ nuper exemplum prodidit, cum illuſtris familia, ſublatis tribus fratribus, miſerabili ruina deceſſit?

At ego dum flagitiorum frequentiam nego mihi quicquam ex ſtupore ſubducere, video agreſtes, aliquot ad anguſtiſſimas ſyluæ fauces, veluti ad conſilium, coiſſe. Inter illos viragines duæ lacertos extulerant, & videbantur ad pugnam promittere manus. Nec dubitauit Cæſar, quin latronum inſidiæ in illa ſylua

fre-

frequentes illam pauidorum manum cogerent, qui tunc aduentu nostro recreati, quoniam accincti ferro eramus, vna syluam transmissuri prorumpunt, Cæsaremq;,vtpote gentilem hominem, &,vt aiebat, eorum fortissimum qui nuper ex illis regionibus Gallias infestassent, sibi ducem faciunt, haud dubie in omnia pericula audaces, si quis esset qui suo exemplo fortitudinis admoneret. Cum igitur poneremus consilium,num quadrato agmine famosissimam viam inire, num vna, num diuersis cohortibus præstaret: ecce tibi occurrit aliorum hominum agmẽ, & irato fremitu ita militarem viam implet, vt circumstãtis syluæ confraga tumultu formidabili exsonarent. Nulli prælium minus quam Cæsari placebat, quem ego vt timidissima fronte vidi prensare digitorum suorum articulos, metumque pallore confiteri, vicimus,inquam Cæsar,si audemus non fugere. Latrones sunt, & si mihi credis, plus timori nostro quam suæ virtuti nituntur.

[Et

[*Et occinebam illi præclaros adhortantium voces, quas olim memoriæ commendasse, tum opportune succurrit.*

Attulit causas timendi multis, posse timerier. (*bona.*

Culpa vbi nulla est, timere mens tamen solet

Dura sors sedendo vires duplicat pauentibus.

Est timentis, perpeti id accidere quod nolit sibi.

Expers est timoris omnis qui nil commisit mali.

Falsus est formido vates; auguratur pessima.

Fortium mentes virorum sæpe item domat timor.

Haud necesse habet timere quempiam, se qui timet.

Id solum timet timere quod primum capit pauor.

Mavelim nimis videri timidus, quam prudens parum.

Maxime timor sibi fingit, quæ exsecratur maxime. (*bus.*

Mortuus lupus timori est mortuis veruecibus.

Na-

Naturale est quem times odisse, & perdere quem oderis.

Ne pingues time ac comosos, sed macros & pallidos.

Nemini nō flagitioso res tuta inter suos timor.

Neminem timet nullius conscius sibi mali.

Nil pauentius columba, nilq; ea facundius.

Non timor res solum intuta est; cuncta intuta etiam facit.

Nulla nascitur timoris causa, cūcta si times.

Optimum in vita est timere præter seipsum, neminem.

Omne credit eventurum quod timet mens anxia.

Peßimā vitā anteponit optima morti timor.

Plurimum de eo timemus, spes est de quo plurima.

Promptus in pauorem agrescit longa sollicitudine.

Quam mage occulūt pauorem tam sese prodit malis.

Quam magis celatur ipse se magis protulit timor.

Quam magis tegis timores, tam magis facis palam

Quamuis est intactus odit quisque quem timet sibi.

Qui verentur cum haud opus est, minime verentur cum est opus.

Quo minus timoris, hoc est & magis periculi.

Reb. in cunctis timor magister nō ineptus est.

Si quantū potest timetur miseriarum haud est modus.

Si venerabilis non est, tamen est verendus conscius.

Stultitia est ea facinus magnum timido cordi credere.

Sunt quoq; se qui commouere nequeunt præ formidine.

Te time ipsum, si timeri postulas à nemine.]

Non negabat Cæsar vera esse, quæ dicerem, tamen consulendum liberis clamabat, & propinquiorum pietas tenerrimam persuaderat mentem. Iam dispersi hostes occupauerant viam, iam distrinxerāt ferrum, aut prę ustas in humerum extulerant sudes, cum repetito clamore incitati procurrimus. Ego digladiabar acutissimo fuste. Paucis rusticorum ferrum erat, sed obulo quisque tolo armauerat manum, & ipse Cæsar frigidiore quam Demosthenes ignauia nō

proiecerat parmam, sed omnium vestibus amictus, quas expediti nostri proiecerant, negabat esse fas in primis ordinibus consistere ducem. Nō ferendum, vt fortunæ liceat vnius casu affligere vniuersos. Sibi curæ fore, ne possint circumueniri nostræ alæ. Incitaturum ad pugnam, ordinaturum aciem, deinde incorrupto iudicio de singulorum virtute dicturum.

Bellum, O Endecasyllabi cruentum
O bellum numeris referte dignis,
Quali Thyiades insonant cruentæ,
Cum iam Nebridibus graues lacerti
Huc thyrsos virides regunt & illuc.
Non hic Mæonico exsonet tumultu
Iratis tuba dignior cateruis.
Absit tibia, vel forata buxus,
Sacrorum Phrygiam admonens Cybelen,
Aut quæ tympana mollibus ministris
Mitras frontibus imperant recingi.
Nusquam hic vulnera, purpura ve tristi

Vn-

Vndabat tepidus cruore campus.
Solus præcipitat timor cadentes,
Solus corpora sauciabat horror.
Sed tandem geminas rotare giro
Iam forti mihi iam munus placebat,
Iam concurrere iam probare dextram,
Cum sparsis vlulans comis virago
Audacem ferit excutitque telum.
Quali Thyiades insonant tumultu,
Cum iam Nebridibus graues lacerti
Huc thyrsos virides regunt, & illuc.
O bellum numeris referte dignis.
Bellum, O Endecasyllabi, cruentum.

Sublato tandem errore omisimus bellum, quoniam hæc erat virorum & mulierculatum acies collecta ex viciņis mapalib qui & ipsi prædonib. bellum illaturi conuenerant. Omnes vulnerib. intacti prælio excesserant, nisi q; sæuissimo fuste mulier lacertũ meum onerauerat, & Cęsar pręterea noster, cum retro cæcis vestigiis iret, incurrerat in vepres, pfossi q; spina clunib. tam miserabiliter ex-

clamauerat,vt grauissimo telo ictum crederemus hãc postremam vocem edere. Igitur compositis preliantium minis qui hostilibus modo armis concurrerant, etiam ad nos venire Medicũ iubent, lacertiq; mei vulnus perfundere vnguentis, & omni artis suæ benignitate mulcere. At Cæsar fœdissime per campum volutatus, quæso, inquit. Gelon: scio me agere in vicinia mortis, nec tantorum vulnerum hiatus vlla medicina coituros. Grande tamen petituro solatium relinques, si permittis vt intelligam prius quam alta morte pereo. Ego, quamquam marcentes nerui destituerant lacertũ, & omnis spes infestinatione medicaminis erat, tamẽ flebili lamentatione victus, confestim Medicum rogo, vt ad Cæsarem transeat. & exploret desperatæ latebras plagæ. Tum vulneris locum iussus Cæsar ostendere, demisit in clunem manus, & mox dispoliatus nos odore tam pestifero sparsit, vt crederemus illas partes non tantum emortuas esse, sed in fœtorẽ etiam pene solutas la-

bi. Neque aliud erat vulneris vestigium, quam exilissimæ spinæ via, quæ exiguo sanguine maculauerat cutem.

Tarde persuasum est Cæsari, se valere; nec quamdiu blande est habitus, succiduis & titubantibus vestigiis innitebatur. Sed postquã teneriora Medicus virgulta succidit, & aliquot plagis medicamentũ opperientem excepit, nunquam magis alacer Cæsar etiam præcipitantius, quã si adhuc starent hostes, effugit. Ac tandem mora simul pudoreque victus, fortioribus consiliis locum dedit.

Iã euaseramus formidabilis syluæ noctem, iam dierũ aliquot iter emensi per confragosos plerumq; saltus & importuna mõtium iuga emerseramus ad amplissimam vrbem, in quã meum cum Cęsare fœdus erat compositum. At cum ad Mauricij domum (is erat Cæsaris necessarius) tenderemus, occurrit nota iam olim Cæsari mulier, quam ille parcissime salutatam me aduertere iussit, & omnia diligentius intueri. Auream vestem aliquot insuper gemmæ aut colebant, aut

i, fæ ornabantur, decentissimi collo to ques, crinis theatrali pene gradu cõscendens, cothurni omni tragœdia altiores fœminam extulerant, leuia vestigia omittebant intactam pene terram; eaque reclinata molliter in humerum adolescentuli dextra tollebantur. Gradus tamen ipsa testudine tardior differebat hac illac lasciuienti modestia vultus, tardeque ab oculis obuiorum trãseuntem rapiebat. Interrogauit Cæsar, qualem ego mulierem crederem, quæ tam prodigo cultu, tanta frontis tranquillitate procederet. Ego Dynastæ alicuius coniugem cum dixissem, tanto risu illa commouit, vt etiam manus ad lateris subsidium adduceret, &, certe, inquit, sutoris coniux est, vt intelligas in hac vrbe regnare iudicium Paridis, & Mineruam, Iunonemque minori fastu quam Venerem ire. Ac ne quid tibi ad miraculum desit, scribendis olim matrimonij legibus adfui, tabulis etiam subscripsi, in quibus dos hæc erat scripta. *stanni pondo nouem, & mantilia singula in o-*

mnes

mnes anni menses. Sed longe maritus largior; etiam vltra morem effuderat liberalitatem suam. Is donabat patrimonij partem, & præterea veniam, vt hilari licentia vtrique consuleret. Cæterum alterna est hæc pompa, & quam publice decora est hæc mulier, tam domesticis sordibus est infamis. Nihil illa fœdius cum ab unt amatores, nihil magis neglectum. Victus pace tua dixero, qualem vel Erisichthonis fames refugiat; Vestis tam squalida, vt aut ream esse, aut elatum maritum de fl re existimes.

Hæc Cæsa e familiarius exequentem, [*Ego in luxuriosum corporis ornatum stomachabūdus, hæc effundebā. Laudo ego & admiror veterem Lacedæmoniorū ciuitatē, quæ solis meretricib floridas vestes & aurū mundū gestare permisit, à probis mulieribus mundi studium auferens, quod solis meretricibus se ornare concederet. Contra autem Atheniensium magistratus, qui ciuilem vitæ formam expulerant, loci quasi & conuersationis virilis obliti, aurum gestabant. Et talaribus tunicis amiciebantur: crobulo, quod est vestimenti ge-*

nus, aureo induebatur, adiunctis cicadis ornati; ortum suum reuera terrestrem, cinædico quodam fastu & arrogantia mōstrantes. Horum autem principum æmulatio ad alios quoque Ionas peruasit, quos Homerus esse effœminatos ostendens, vocat ἑλκεσιπέπλȣς, hoc est, vestimenta trahentes. Ii ergo qui pulchri simulachrum, nimium scilicet ornatus studium, non autem ipsum pulchrum & honestum attendunt; specioso nomine simulachrorum cultum rursus inducentes, à veritate longe sunt relegandi, cum opinione non scientia, pulchri naturam somnient, & est vita quæ ab eis hic agitur, profundus somnus ignorantiæ. An non oportet nos excitatos, ad id quod vere pulchrum est & ornatum contendere? & id solum assequi desiderare, relinquētes quæ hic sunt mundana, ipso mundo, hoc est, vero ornatu gaudētes, priusquam perfecte obdormiamus?

Dico ergo hominem non alia de causa opus habere vestimētis, quam vt tegatur corpus, ad maxima frigora & vehementes æstus propulsandos, ne nos lædat ambientis aeris immoderatio. Quod si hic est vestis scopus,

pus, vide ne non alia quidem viris, alia vero fœminis vestis tribuenda sit: tegi enim vtrisque commune est, quemadmodum comedere & bibere. Cum vsus itaq; sit communis, constructionem similem comprobamus. Quemadmodum enim vtrisque commune est vt egeant iis quæ tegunt, ita à quibus tegendi sunt esse oportet similia, etsi oporteat huiusmodi tegumentum assumere, quo sunt fœminarum celandi oculi. Etsi enim fœmina propter imbecillitatē longe plura cōcupiscat, id malæ educationis consuetudini tribuendum est, per quam sæpenumero viri in malis vitæ institutis educati euaserunt mulieribus magis effœminati: non est igitur eis hac in re credendum. Quod si se eis aliquantulum accommodare oporteat, vestibus quidē paulo mollioribus eis vti concedendum est, dummodo nimis subtiliter per summam stultitiam laborata opera, curiosaque in texturis plicaturæ longißime amandentur: auri fila, & Indicos seres, & operosos bombyces valere iubentibus.

Est autem bombyx primum vermis, deinde aspera ex eo nascitur eruca, postquam in

tertia metamorphosi innouatur papilio, quę nonnulli Græce appellant νεκύδαλον, ex quo longum stamen nascitur, quemadmodum ex aranea tela aranea. Superflua enim hæc perspicue mentē minime constantē arguūt, quæ exigui expasione veli, tanquam quodā lenocinio, prorū corporis illiciunt. Non est enim amplius tegumentū mollis ac delicata vestis, quæ nudam figuram non potest occulere: eiusmodi enim vestis in corpus incidens, mollius ipsi corpori imprimitur & applicatur, figuræ carnis instar adhærens: & mulieris typum ita exprimit, vt vel non videnti manifesta sit tota constitutio corporis.

Reiicienda quoq; sunt vestimenti tincturæ: ipsa enim & ab vsu & à varietate longe remota sunt, præterquā quod ex eis morū oritur reprehensio: neq; n. est earum vsus vtilis: nam nec ad frigus propulsandum est paratus, neq; ad tegumentū habet aliquid amplius quā alia vestis nisi solū vituperium. Coloris autem delectans suauitas male habet auidos, eos ad stultā impellens lippitudinē: atq; eos quidem qui sunt candidi, & nō intus adulterini candidis & minime curiosis ac operosis vestib. vti

est

est cõuenientißimũ. Aperte certe & pure Daniel Propoheta: Positi sunt, inquit, throni, & sedit super ipsos tanquã vetus dierũ, & eius vestimentũ albũ sicut nix. Tali veste vtentem Dominũ, in visione se vidisse dicit Apocalypsis: Vidi animas eorũ qui testes fuerant sub altari, & data est vnicuique vestis candida. Quod si oporteat ẽt aliquem alium colorem quærere, naturalis veritatis per se tinctura sufficit. Vestes aũt quæ sunt florib. similes. Bacchicis nugis & initiorũ mysteriis relinquẽdæ snnt: deinde vero purpura, & vasa argentea, vt dicit Comicus: Multũ tragœdis conferunt, vitæ nihil. Vita autem nostra quid vis potius quam pompa est existimanda. Tinctura itaq; Sardiniaca, & alia omphacina seu oleagina, & alia viridis, rosacea & coccina, & aliæ innumerabiles tincturæ, excogitatæ sunt à perniciosis delectationibus quo fit vt ad visum conferatur iã vestis non ad integumentum. Quæ autem ex auro affabre facta, & quæ purpura tincta sunt. & hæ animaliũ quæ vento feruntur delitiæ, & ille vnguẽtis delibutus Crocotus, suspiciendarũ membranularũ precia ingẽtia, & variegatæ vestes, quæ in

purpura habent animalia, cum ipsa rte vaalere iubenda sunt. Quid enim prudenter ac præclare fecerint mulieres, quæ, vt ait Comœdia. floribus tincta, Cincta crocotis atque fucata sedent?]

Interim nos Mauricij domus acceperat: nec audebam ignotæ domui succedere, antequam Cæsar humanitate mirabili à domesticis cultus me etiam per familiares arcesseret occurreretq; Mauricius, & per amplissima deducens triclinia passim aureos ostentaret parietes, nobilesque cameras nouarum indices opum, vbi multa priscæ vrbis vestigia extabant, & celeberrimæ tabulæ ex euersæ vrbis incendio non semel conseruatæ. Multa Gallico auro cælata fulgebant; siue Brennus fugiens reliquerat, siue ipsi per publicos tumultus auexerant. Præcipua deorum cura fuerat. Stabat Iouis Iunonisque species supra homines venerabilis. Deinde spirans vbique Ganymedes, & Æneæ mater Venus posteros suæ originis admonebat.

Heu nihil inuitis fas quemquam fidere diuis!

Cum omnia diligẽtius perlustrassem, & truncos maiorum vultus, semesasque imagines contemplarer, nescio quis me Deus funestissima Mauritii voce obruit, qui Cæsari prędicabat, illam domum Fibullio transalpino homini tantũ sacram dicatamq; non esse, se illius nomini omnia debere, expectare etiam postridie ab illo nuncium, qui frequentissimis literis & colebat amicitiã, & sua beneficia tuebatur. His ego pculsus vocibus, tantum non amiseram spiritum: sed pallorem, qui subinde membris suffusus est, excusaui extemporaneo morbo, quasi omnes corporis articulos febris subito tremore tentasset. Cæterũ nihil opportunius succurrebat, quam fugere, ne me illicà Fibullio nuncius deprehẽderet. Igitur nec expectata cœna, quasi perlustraturus vrbem, effugi suspectam Mauritii domum, votoq; ad Fortunam facto, vt aliquando satiaretur meis malis, nõ ciuitatem mo-

do, ſed prouinciā reliqui, miſerabili locorum imperitia, cum totius orbis exul hucilluc fugæ meæ notas ſpargerē, tandem in ipſa Callionis patria, in ipſis hoſtium penatibus ad populoſiſſimam vrbem veni, in qua tanta erat frequentia, ad negotia diſcurrētium, vt aliquandiu crederem ſeminarium eſſe, ex quo mortales Iupiter in orbē emittit, vel quo fatis vocantibus homines coeunt, ad vitam iterum ſolemque redituri.

Quicquid Arabs, quicquid dubiis Naſamones arenis,
Aut laſciua tenent effœti litora Lydi,
Inuenias: illic etiam Mauortia Thrace
Quicquid alit, quicquid Scythici trux incola Ponti,
Quicquid nō in immenſo late pulcherrimus orbe
Aut facit, aut alio ſpectat Sol numine factum.

Etiam omnigeni fructus, etiam mala Cotonia, prope regiæ culinæ fores ex-

ſurgunt. Illic virtutũ, illic vitiorum collegia, & ne parum dixerim, cœlum cum tartaro mixtum.

[*Videbantur enim mihi attentius contemplanti, non omnes eadem animi intentione mercatum hunc excolere, & vere conueniebant alij ad hunc locum ob mercium copiam, alij propter hiſtorias, & alia ſpectacula, & certamina. Ex his ſi qui valde huius rei ſunt ſtudioſi, nihil aliud à ſummo diluculo faciunt. Multi varia adferunt venalia, turba forenſis. Alij ſuarum ſpecimen edituri artium, & opificij. Alij ſuam proponunt ſapientiam. Multi quoque poemata oſtentant Tragœdiarum & carminum heroicorum. Multi vero ſoluta oratione ſcripta commentaria legunt, otii gratia venientibus, animumue oblectare volentibus moleſti. Hi maxime ſimiles ſunt vibriſſantibus, cantatibuſque in compotationibus quos audire neceſſe eſt velis nolis. Inter hos ſi quis põt ſermones dicere vtiles atq; õducibiles, & totũ conuentũ honeſtiorẽ melioreq; reddere, is ob tumultũ aliorũq; multitudinẽ cogitur*

quieſce-

quiescere, secumque habitare. Plurimi enim perinde affecti sunt erga philosophiæ sermones, vt erga medicorum (opinor) pharmaca. Neque enim quis statim ad hæc accedit, neque mercatur prius quam inciderit in manifestum morbum, membrumque aliquod corporis doluerit. Neque etiam illos sermones audire sustinent fere, nisi triste quid cui acciderit, aut res quæpiam visa atrox. Cæterum fortunatum hominem (qualiter vulgus fortunatum appellat) nempe multas ex fœnore pecunias & latifundia poßidentem, ipsumque bene valentem, & liberis saluis & vxore, & quandam potentiam aut principatum habentem, magnum absq; bello & seditione manifestisq; periculis, non inuenias qui ad tales facile accedat, aut dignetur negotium habere cum philosophicis sermonibus. Si cui vero detrimentũ acciderit circa vitã, siue pauper ex diuite factus sit, aut infirmus & inualidus ex valido, aut aliam quandam habeat tristitiam, hi familiarius quodammodo dispositi sunt ad rem, & aliquo modo philosophorum sustinent sermones, & quodammodo fatentur se indigere consolatione. Et si

quis

quis forte perdat aliquos domesticorũ, aut vxorem, aut filiũ, aut fratrem, rogant veniat Philosophus, & horte ur ad æqua consideranda, & quomodo quis ferat mediocriter ea, quæ sunt facta, cæterisq; possit resistere. Antea autem non. Ita enim & circa corpus fere affecti sunt fatui. Nam alio quidẽ tempore nullæ illis cura est, qui possint bene valere: neque de aeris mutationibus sunt solliciti, sed cibis & vino, & de rebus Venereis, & alia victus ratione quam intemperantissime & securissime vtuntur. At si quis apprehenderit morbus, tum requirunt medicum, & se curare iubent pleni multa confusione, morbisq; validis, quales par est, eiusmodi homines apprehendere, qui vt ne medicis opus sint habituri, ab initio non considerant.]

Vrbem autem aiebant de Priamidis nomine Alexandriam appellari. Nec longius quæsiui latebras meæ fugæ. Nam veluti in solitudine errarem, in quot incurreram homines in tot incidisse simulachra fingebam. Ac mihi præterea persuaseram, tarde crediturum Callionem, me ad regionis caput fugere, cu-

ius ipse corporis pars pene maxima credebatur.

Erat ædes laxiſſima, ad quam multis gradibus ſurgabat aſcēſus. Celebres circum porticus, & venalitiis rebus plenæ morabantur euntes. Ibi nobiliū fœminarū ingens numerus, pennata procerū vanitas litigantium quoque vigiles turbæ, furum etiã, & eorum, qui fortunam vbicunque inueniunt, amant. Cum illic animum in tot miracula diuiderem, vir quidam, vt videbatur, modeſtiſſimus, paulatim accedens, vltra loci geniū ſalutauit ignotum, & an vellem emere profundam auri maſſam quæſiit; vili etiam addictam, & quod eſt miſerrimum, cui præter inuidiam nihil pretium minuebat. Cum omnino non reſpuerem, ſeduncta turba, & nonnihil modeſto gemitu cunctatus, quam eſt durum, inquit, bonis mentibus, vel infamia ſeculi, vel hominum criminationibus inundari! Aurum, quod naturæ genium exprimens, ſolerti induſtria conflaui, palam efferre timeo, ne iudicium, quod in omnes artis

noſtræ

noſtræ hominesjam olim rumor tulit, me ſub communi cauſa obruat. Cæterũ ſi populo non omnia credis, ſeruaſq; iudicandi arbitrium, potes hic per compendium ꝓperare ad ampliſſimas opes. Aurum exiguo pretio permittã. Tu auctione certiſſima diues, nõ ad optimam ſemel prædam, felicem q; mercatum redibis? Et ne me putes fallẽdi animo hæc facere, ſi placet, hodie vna cœnabimus, vt familiare ſuper menſam colloquium, tum fidem tibi meam, tum veritatem, certius inſinuet.

Tam erat appoſita oratio, tam vultus ad lenitatem compoſitus; vt nefas crederem, ſi mihi tam ſanctus homo in ſuſpicionem veniſſet; cum etiam, inſtar antiſtitis ſummi Iouis, videretur ab omnis iuramenti atrocitate ſimplex animus refugiſſe. Itaque facilis, & nondum ſatis Fibulii donis edoctus, vt extẽporanea beneficia vitarem, promiſi ad cœnam, & etiam condicto maturius adfui, vbi meus ille planus accenſum modice ignẽ, &, niſi fallebat, æternum, follibus

ad

ad mensuram turgentibus alebat,& prunas scrupulose excitans, Mercuriū suum humido, vt loquebatur, ac quodammodo pingui calore fouebat, vt, inquit, felicissimus puluis, p tot artes tantamq; solertiam, natus, id mortalibus innoxie tribuat, quod ne quidē dii Midæ sine damno dederūt, & metalla omnia in altiorem transferens ordinem, doceat Naturæ industriam humana sedulitate vinci. Etenim vbi tellus, optima morientium omnium parēs, auri semina in abditissimo sinu concepit, & inspirantem benignius Solem admisit, humillimo primū initio tam chari ac præstantis fœtus elementum orditur. Nam Mercurius ille, ex quo quicquid metallorum est componitur, veluti certis gradibus sese in præstantiorem naturam adaptat, donec voluentibus iam pene seculis in hunc fulgorem euadit, qui omnium oculos tam ambitiose delectat. Nos autem lenta corrigentes incrementa naturæ primum Mercuriū masculum è montium medullis eripimus, lentoq; ac vitali ca-

lore

lore imitantes ingenium Solis ad altiorē sphæram agimus, vt à Mercurio ad Venerem, inde ad sublimitatē Solis ascendat, id est, vt per omnes velut ordines actus, ea sede consistat, à qua si metalla deflexerint, quacunque velint parte, descendant: idque tantum mensibus nouem, nempe iusto tempore, quo se fœtus humanus ad viuendi dignitatem instruit.

Sed est fortunæ rarissimæ, & in quam nec temeritas, nec casus incurrat, ita digerere nascentis auri cunabula, ne vel immodico æstu consumptum, vel lento nimium igne torpescens, spem hominū & industriam fraudet. Multi nondum soluerunt de littore ratem, cum iam naufragium sentiunt: alii in ipso cursu, & spe iam adulta, etiam aliquando in portu, tam mirabilem & lucri & famæ fortunam de manibus amittunt. Sæpe fornaculum serius ad ignem positum, sæpe vitrea vasculorum fragilitas elatam expectationem eludit, & si verum fateri audeo, plerisq; sui cultoribus hæc scien-

tia nihil relinquit, præter inanissimam spem emendandi, quod prioribus experimentis peccauerint. Desidit interim quantumcunque profundus patrimoniorum alueus, vndique spe ac sterili his ignis carpitur, vnica curiosi animi voluptate tot dispendia, tot maledictæ plebis contumelias, repensante. Sed generosis mentibus, & nihil pre mirabili arte æstimantibus, est etiam quædam paupertatis in hoc studio suauitas, ne gratis in Naturæ secreta puaserint. Nec vllus est in egestatem tam magnificam actus, cui plus aliquid doleat, quam quod cessantibus opibus, sacer ignis, & Phrygio Romanoque diuinior cadit. Populus autem, & qui oblimato pectore synceræ voluptatis gustum non sentiunt, execrantur hanc bonorum voraginem, & modestissimi quidem risu, petulantiores maledictis insectãtur, seuerissimi pœnis. Inde monetarum adulterationes, inde fraudes & latrocinia esse clamantes, & quæcunque exhausta patrimonia per iniuriam implent. Nec illu-

ſtrium hominum ſplendor, nec Aquila noſtrarum iam partium facta, amplitudine ſua humilium vitiorum, & quæ anguſtis tantum capiuntur pectoribus, infamiam à nobis detergit. Quotquot in id ſtudium tendimus, ſi ex optimatibus, fatui; ſi ex tenuioribus, impoſtores audimus. Iniquiſſima tamen ædepol conditione, & quæ facile populum iudicaſſe commonſtret. Etenim ne me iam aliorum oneret defenſio, id cœlo teſte ac interrita fronte prædico, me à puero incubuiſſe in hanc artem, me quicquid eſt ſecreti atque abditi indefeſſis laboribus quæſiiſſe; meam tamen fidem aut integritatẽ nullo propterea eſſe ſcelere violatam. Iam vero & humilia in aurum transferre metalla, & vilioribus ſaxis gemmeam inducere dignitatem, mihi tam promptum eſt, vt nõ ſociorum magis, quam ipſius Naturæ inuidiam pertimeſcã. Omnia Neptuno littora gemmas concipiunt, omnia afferunt. Iam ſacrarium illius dei pene tot radiis eſt illuſtre, quot animus virtutib. diues. Etiã talen-

tis nuper plurib. principem lapillum emit: sed nulla illius fortuna mea felicitate nō est minor. Cum hæc dixisset soluit sacculum satis grandem, meq; introspicere iussit, erat autē partim laminis aureis plenus, partim splendentibus gemmis, & oculos ipsa luce fallentibus: & quanti omnia æstimarem, vultu ad blanditiem deflexo quæsiuit. Ego, quem inopinato radii tam illustres ceperant, tribus talētis æstimaui, id etiam, quod plerumq; lenes homines solemus, timens, ne humiliori pretio, tanquam mercium contemptu rogātem offenderem. At ille, sic me nunquam educandi metalli solertia fallat, inquit, vt tam illustres gemmæ septem facile talentis venient. Tibi tamē hoc erit orientis amicitiæ pignus, quod destinata tuo iudicio pecunia, tribus, inquam, talentis sacculum auferes.

Nihil ineptius, quam apud inuerecundos latrones pudore teneri. Ego ne viderer homini diffidere tā docte blandienti, cœpi vestiū nodos soluere, eductamq; de variis pecuniā recessibus nu-

me-

merare: hoc vno ſapiens, quod particulam, quæ in ſumma veſte prope humerum latebat, intactam omiſi. Igitur cum ſeſquitalétum prompſiſſem, negaremq; alios mihi eſſe in præſentia numos, ſceleraſſimus carnifex primo ſacculum ſuum recludere cœpit; mox vt etiam à me reponi pecuniā vidit, imo, inquit, quicquid gemmarū eſt, potius ſorte fideliſſima partiamur. Ego in duas partes quam potero, iuſtiſſime diſtinguam; tu ſeſquitalento quam voles partē optabis. Placuit etiam amentiæ meæ conditio. Itaq; diuiſis exquiſitiſſima, vt videbatur, diligentia gemmis, cum expenderet pretia, & videretur optima fide ſollicitari, omnem ex animo meo ſuſpicionē abſtulit. Laminæ etiam aureæ in diſtributionem venerunt; vt feliciſſimo mercatu crederem à me exiſſe pecuniam. Cum igitur, tanquā ille quondam Philoſophus, pro Punicis malis ceram tenerem, hilares ad cœnam cōceſſimus, & ſuauiſſima remiſſione animi condiuimus epulas ad faſtidium pompamque venientes.

Ac posteaquam in domum meam redii, nunquam mihi suauius fuit, cum animus lucri confidentia plenus etiam in medio sopore non cessaret, & inani cogitatione delusus, gemeret tantum temporis suis questibus interesse, quantum moræ lenta nox opponeret.

Pons in illa vrbe celebris lignea radice consurgit, & trabibus artificiose compactis non tam vndis transeuntibus obstare laborat, quam auri argentiq; ponderibus anhelans sub preciosa mole deficit. Hinc & illinc artificum domus, & officinæ quasi continuo splendore lucentes: vnionum quoq; gemmarumque supra felicitatem Indi littoris copia: quo etiam meas merces cum tulissem, senex quidam, inspectis diligentur gemmis, & me, inquit, deridere credis, iam à cunis inter gemmas educatũ, qui vitreę fractæ particulas ꝑ lapillis rarioribus obiicis? Ego indignans, velut à cauto sene deluderer, maledixi tabernæ tam insigniter mentienti, & in aliam me contuli; vbi me pene totum crudelior fortuna euer-

tit. Nam cum Hyacinthinam inaurem fabro traderem, pretiumq; velut ab alio empturus rogarem; quanti, inquit, crystallum emeres inepte s ac rusticis fucis imbutum. Tum ego smaragdum porrigere, ac pellucidam vnionem, quantam Ægyptia mulier non diluisset Antonio. Sed cum omnia eiusdem notæ essent, non auerti tantum artifex aut spernere; sed conuitiari ac palam nō impostorem modo, sed furem dicere cœpit. Quotquot vero permeabāt per sublicū pontem, cum teneri furem crederent, sic restabant ante ædiculæ limē, vt liberæ vndę ac subditi obicis retinacula colliguntur. At ego non alias minus viuus omnē doloris sensum amiseram; nec aduertebam hominem omnes vestium mearum recessus importune scrutātem, palamq; efferentem saxa gemmarum colore tecta, laminas æneas, quæ auri speciem tenui cælatura traxerant. Igitur non amplius audiebam vt latro, sed vt adulterator monetæ & publicæ vindictę seruandus, cum subinde redeuntibus neuis in

hoc ſaltem miſeri ſenſus patuerunt,ne ignorarem me miſerrimam eſſe. Tum profuſis lachrymis,vultuq; qui non tantum à me nefas commiſſum eſſe diceret, iam ſilentem populum & audiendi auidum affatus ſum. Si non omnis miſeris fides cum calamitate decedit, illud iuro, nō ſcelere meo, nec fraude, id quicquid eſt cōcitum turbæ. Virtus, & credulitas fidei meę teſtis,in has me anguſtias coniecerunt,malitiæ doliq; rudem; de quo id hactenus ſenſi,primum eſſe nefas in ſe admittere, ſecundum, in alio ſuſpicari. Itaq; cum heri bonæ fidei integritatem, ſeu verbis, ſeu inceſſu, ſeu etiam aliquo geſtu, incautus prodidiſſem, viſus ſum præſtigiatori tupiſſimo facilis præda, & quæ maculas magis pondere, quam exeundi ſubtilitate turbarem. Nec illum fefellit opinio. Nam hæc pene inania gemmarum ſimulachra ſeſquitalento permutauit.

Cum non ſolum lamentabili fletu ſermones meos,ſed omni etiam execratione firmarem, circumſtantis populi im-

petum

petum ſtatim fregi. Itaq; aliis ad riſum, pluribus ad commiſeratione͂ verſis, peto rogoq;, ne mihi nullo merito calamitoſo deſint:eant vna in ſycophantæ domu͂, & ſceleris tam atrocis præmium ex facinoroſis manibus extorqueant. Id ſaltem ſolatium paupertatis fore, ſi non inimicum ditauiſſem. Aſſentantibus cunctis, ſeu qui odio in ſcelus ducerentur, ſeu quos in miſerabilem pietas excitaret, ſeu denique qui turbas ad flagitia peterent, ducem me præbui; cum ſubito lictores publici aſtiterunt ad latus, moleſtiſſimo ſatellitio, aut in meam, vt æmuli pecuniam intenti, quorum paulo ante aliquot nobile ſuæ artis facinus ediderant. Nobilem fœminam de curru detraxerant. Flagitabant numos, quos neſcio quis creditor per iudicem petiiſſet. At illa, ſe vero non abnuere, non negare, dicebat, paterentur iret in ædes, expeditos traderet numos, neu ſe vel cuſtodia, vel abſtractis equis indigne laceſſerent; Nec impetrauit aliquid à barbara gente, etiam licentius ſæuiente, quod

extorquere verbera vellent, magni sem per seu fustem seu lorum ementes.

Cum autem iam essemus in limine venit intrepido vultu caupo, &, quid apud se vellemus, audacia quæ conscientiam celaret, interrogat. Tum ego mediocris staturæ hominem, macilentum caluum, fusca barba, pallida cute, me quærere dixi, quo cum heri cœnaueram. At ille talem apud se diuertisse, aut omnino pridie quemquam cœnasse in suis ædibus negans, me ipsum turpissima suspicione perstrinxit. Iam apertis clamoribus lacessitus nihil mollius vinculis expectabã: cum causæ meæ fiduciam destrueret diuersitoris constantia, nec claris omnium vocibus, satis audiretur defensio. Itaq; gesticulanti dextera, etiam hianti ore, significaui esse quod loqui vellem. Tandem impetrata pax dicendi locum fecit, &, si, inquam, neminem in domum admisisti, dic, si potes, qui erant illi homines, qui in superiore cœnaculo totum diem bibendo consumpserunt? Quos cum ebrios ac petu-

lantius rixantes velles cõpeſcere, ictum in ſupercilio accepiſti, proiecta lance & per ſolutam cutem vſque ad ſoliditatem oſſium merſa. Dic etiam, num affines tui, num familiares erãt, quos ex vltima Iberia venientes longo ſermone excuſaſti, quod nobis ad epulas ſocios adduceres. Neq; in re incerta verſor. Meam cauſam eorum ſarcinæ agent, ipſiq; præterea hoſpites ſi expectatis, dum à negotiis ad prandium redeunt.

Cum tam indubitatis indiciis agerem, cogéremque aduerſarium quærere quid diceret, mutatum vulgi ſtudium, & innocentiæ meæ fauor pene cauponem euertit: cum is omnium clamor eſſet, hominem nequam & arte ſua dignum, non ſceleris modo gnarum, quod in me quiſquis erat ille planus cogitaſſet, ſed etiam prædæ participẽ, per indignam aduenæ calamitatẽ augeri. Receptatorẽ latronũ, & ipſis peiorẽ aggreſſoribus ad publicũ exemplum caſtigari debere. Nihil mihi vnquam illo iucundius exitit: quoniam nõ deerant, qui vinciẽdum cauponem,

ac feruandum dicerent. Sed nihil fieb
tardius, quam quod omnes imperaba
Nullus iniiciebat manum, aut pro i
perio in custodiam sequi iubebat. Na
lictores, vt qui lucrum captarēt, nec h
minem tenebant, quoniā postea dimi
ti non poterat; nec abituri erant, nisi sc
leris pretium supra debitam iusti offic
mercedem duplicaretur. At diuersito
seducto ex lectoribus principe, quadra
ginta denarios in singulos dictorū, qu
adessent, erogaturū promisit tanta subti
litate, vt id nemo aduerterit, nisi per si
milem malitiam doctus.

Incipiebat mihi esse suspecta lenti sup
plicii mora, cū lictor, cuius venalis fide
conductam operam præstabat, vanū esse
de quo disputamus ait: id solum quæri,
num adesset, qui me adulteratis gemmis
deluserat. Scrutanda penitus omnia, nec
abditissimis domus latebris esse parcendum. Tum irrupit in ædes, & stabulario
nequissimo (id quod moliebatur) effugiendi locum fecit. Interim ad negotia
populus defluxerat, & vt in tumultibus

solet,

ſolet, omnium impetus in turpiſſimum languorem deſinebt:cum ſolus, & inuiſus ad ſceleratū limen aſtarem, & lictores omnia permiſcerēt in ædib. affectata diligentia, quæ quo erat falſior, eo ſtruebatur ſolertius. Cumque inanem diu laborem finxiſſent, tandē nunciant abeſſe hominē, &, ſi quid in cauponem haberem, magiſtratus iuſſu ad iudicium euocandum:ſe non poſſe indemnatum, & cuius flagitium erat ita obſcurum, vt poſſet negari in cuſtodiā trahere. Id reſtare, vt largius laboris mercedem numerarem: quoniam bona fide me ſecuti tres pene horas conſumpſerant. At ego tanta improborum contumacia excitatus, negaui aliquid proditoribus daturum, præter preces, vt euenirēt quęcunque publicum in illos odium quotidie concipiebat.

Nec iam languide iratus ad Prætoris vrbani tribunal deuoluo, ſcelus cauponis & lictorū perfidiam veris indiciis delaturus. Erat autem in Arcula (ita Prætorium appellant) tam frequens concio,

vt instar vnius molis aut corporis coire arcta & congesta frequentia. Simul moueri, vna cessare, & quod est rarissimum vno veluti ore nunc silere, nunc in risum effusissime concitati.

[Tum circa turbas animum versare forenses,
Litibus atque dies miseris impendere totos,
Oppositisque graues dictis miscere tumultus
Ac legum implicitum laqueis mala plurima ferre.
Heic labor, heic infesta acies, heic sæpe malorum
Causa bonam superat. Qui vero legibus esse
Præsidio debent, horum venalis vtrisque
Et pretio est addicta fides, ita sit modo diues,
Improbus est meliore loco, victorq; recedit.
Quisnam inter tales homines, nisi Numinis adsit
Gratia, tot fraudes, quis tot mendacia vitet?
Aut etenim volucris fuga suscipiatur oportet.
Omnia linquaturq; malis, aut pectora chara
Multiplici errorum fœdari labe necesse est:
Vt qui se flammæ propius iunxere vapori,
Aut flammæ aut fumi referunt in corpore signa.

Cum

Cum iucundum remiſſumque tribunal admirarer, aduerto iudicem indigniſſimum, qui inter mala verba habitet, ſublimi ſede, vultu graui, ore ad antiquorum maieſtatem compoſito, pene ad ridiculam controuerſiam moueri, vt ſeueritatem iudicantis non ſeruaret. Stabat enim ludicro amićto reus, ore purpureo, viridi cucullo, cui, cum fatuorum principatum aliquot iam annos tenuiſſet, repente æmulus tantæ fortunæ controuerſiam faciebat. Nec deerat patronus magnificæ cauſæ, qui principẽ numeroſiſſimæ gentis de ſtatu dimicantem tueretur. Illum patre, auo, maiorib. fatuis ortum prædicabat; matris familiam nunquam ſapuiſſe; nec pium filium degeneraſſe à gentilitia mẽte. Meminiſſent magiſtratus in quanta cauſa iudices ſederent. Concuti Rempub. ſi bene animati principẽ fatui ducis iniuriam perſequerentur; qui mehercle, inquit, ſi omnes ad arma properabũt, non inueniet ſapientia defenſores. Quot n. vel ex iſtis, qui me nunc audiunt, taciti, & velut in

tis nuper plurib. principem lapillum
mit: sed nulla illius fortuna mea felici
te nō est minor. Cum hæc dixisset soli
sacculum satis grandem, meq; introsp
cere iussit, erat autē partim laminis a
reis plenus, partim splendentibus gem
mis, & oculos ipsa luce fallentibus:
quanti omnia æstimarem, vultu ad bla
ditiem deflexo quæsiuit. Ego, quem i
opinato radii tam illustres ceperant, tr
bus talētis æstimaui, id etiam, quod ple
rumq; lenes homines solemus, timens
ne humiliori pretio, tanquam merciun
contemptu rogātem offenderem. At il
le, sic me nunquam educandi metalli so
lertia fallat, inquit, vt tam illustres gem-
mæ septem facile talentis venient. Tibi
tamē hoc erit orientis amicitiæ pignus,
quod destinata tuo iudicio pecunia, tri-
bus, inquam, talentis sacculum auferes.

Nihil ineptius, quam apud inuere-
cundos latrones pudore teneri. Ego ne
viderer homini diffidere tā docte blan-
dienti, cœpi vestiū nodos soluere, edu-
ctamq; de variis pecuniā recessibus nu-

me-

merare : hoc vno ſapiens, quod particulam, quæ in ſumma veſte prope humerum latebat, intactam omiſi. Igitur cum ſeſquitalẽtum prompſiſſem, negaremq; alios mihi eſſe in præſentia numos, ſceleraſſimus carnifex primo ſacculum ſuum recludere cœpit; mox vt etiam à me reponi pecuniã vidit, imo, inquit, quicquid gemmarũ eſt, potius ſorte fideliſſima partiamur. Ego in duas partes quam potero, iuſtiſſime diſtinguam; tu ſeſquitalento quam voles partẽ optabis. Placuit etiam amentiæ meæ conditio. Itaq; diuiſis exquiſitiſſima, vt videbatur, diligentia gemmis, cum expenderet pretia, & videretur optima fide ſollicitari, omnem ex animo meo ſuſpicionẽ abſtulit. Laminæ etiam aureæ in diſtributionem venerunt; vt feliciſſimo mercatu crederem à me exiſſe pecuniam. Cum igitur, tanquã ille quondam Philoſophus, pro Punicis malis ceram tenerem, hilares ad cœnam cõceſſimus, & ſuauiſſima remiſſione animi condiuimus epulas ad faſtidium pompamque venientes.

Ac posteaquam in domum mea
redii, nunquam mihi suauius fuit, cu
animus lucri confidentia plenus etia
in medio sopore non cessaret, & ina
cogitatione delusus, gemeret tantu
temporis suis quęstibus interesse, qua
tum moræ lenta nox opponeret.

Pons in illa vrbe celebris lignea rad
ce consurgit, & trabibus artificiose con
pactis non tam vndis transeuntibus o
stare laborat, quam auri argentiq; pon
deribus anhelans sub preciosa mole d
ficit. Hinc & illinc artificum domus,
officinæ quasi continuo splendore lu
centes: vnionum quoq; gemmarumqu
supra felicitatem Indi littoris copia: qu
etiam meas merces cum tulissem, sene
quidam, inspectis diligentur gemmis, &
me, inquit, deridere credis, iam à cuni
inter gemmas educatū, qui vitreę fracta
particulas ꝓ lapillis rarioribus obiicis
Ego indignans, velut à cauto sene delu
derer, maledixi tabernæ tam insignite
mentienti, & in aliam me contuli; vb
me pene totum crudelior fortuna euer

t

tit. Nam cum Hyacinthinam inaurem fabro traderem, pretiumq; velut ab alio empturus rogarem; quanti, inquit, crystallum emeres ineptis ac rusticis fucis imbutum. Tum ego smaragdum porrigere, ac pellucidam vnionem, quantam Ægyptia mulier non diluisset Antonio. Sed cum omnia eiusdem notæ essent, non auerti tantum artifex aut spernere; sed conuitiari ac palam nō impostorem modo, sed furem dicere cœpit. Quotquot vero permeabāt per sublicīū pontem, cum teneri furem crederent, sic restabant ante ædiculæ limē, vt liberæ vndę ac subditi obicis retinacula colliguntur. At ego non alias minus viuus omnē doloris sensum amiseram; nec aduertebam hominem omnes vestium mearum recessus importune scrutātem, palamq; efferentem saxa gemmarum colore tecta, laminas æneas, quæ auri speciem tenui cælatura traxerant. Igitur non amplius audiebam vt latro, sed vt adulterator monetæ & publicæ vindictę seruandus, cum subinde redeuntibus neruis in

hoc saltem miseri sensus patuerunt, ne i
gnorarem me miserrimum esse. Tun
profusis lachrymis, vultuq; qui non tan
tum à me nefas commissum esse dicere
iam silentem populum & audiendi au
dum affatus sum. Si non omnis miseri
fides cum calamitate decedit, illud iuro
nō scelere meo, nec fraude, id quicqui
est cōcitum turbæ. Virtus, & credulita
fidei meę testis, in has me angustias con
iecerunt, malitiæ doliq; rudem; de qu
id hactenus sensi, primum esse nefas in s
admittere, secundum, in alio suspicari
Itaq; cum heri bonæ fidei integritatem
seu verbis, seu incessu, seu etiam aliqu
gestu, incautus prodidissem, visus sum
præstigiatori tupissimo facilis præda, &
quæ maculas magis pondere, quam ex-
eundi subtilitate turbarem. Nec illum
fefellit opinio. Nam hæc pene inania
gemmarum simulachra sesquitalento
permutauit.

Cum non solum lamentabili fletu ser-
mones meos, sed omni etiam execratio-
ne firmarem, circumstantis populi im-

petum ſtatim fregi. Itaq; aliis ad riſum, pluribus ad commiſeratione͂ verſis peto rogoq;, ne mihi nullo merito calamitoſo deſint:eant vna in ſycophantæ domu͂, & ſceleris tam atrocis præmium ex facinoroſis manibus extorqueant. Id ſaltem ſolatium paupertatis fore, ſi non inimicum ditauiſſem. Aſſentantibus cunctis, ſeu qui odio in ſcelus ducerentur, ſeu quos in miſerabilem pietas excitaret, ſeu denique qui turbas ad flagitia peterent, ducem me præbui; cum ſubito lictores publici aſtiterunt ad latus, moleſtiſſimo ſatellitio, aut in meam, vt æmuli pecuniam intenti, quorum paulo ante aliquot nobile ſuæ artis facinus ediderant. Nobilem fœminam de curru detraxerant. Flagitabant numos, quos neſcio quis creditor per iudicem petiiſſet. At illa, ſe vero non abnuere, non negare, dicebat, paterentur iret in ædes, expeditos traderet numos, neu ſe vel cuſtodia, vel abſtractis equis indigne laceſſerent; Nec impetrauit aliquid à barbara gente, etiam licentius ſæuiente, quod

extorquere verbera vellent, magni ſen per ſeu fuſtem ſeu lorum ementes.

Cum autem iam eſſemus in limin venit intrepido vultu caupo, &, quid a pud ſe vellemus, audacia quæ conſcien tiam celaret, interrogat. Tum ego me diocris ſtaturæ hominem, macilentum caluum, fuſca barba, pallida cute, m quærere dixi, quo cum heri cœnaueram At ille talem apud ſe diuertiſſe, aut o mnino pridie quemquam cœnaſſe in ſuis ædibus negans, me ipſum turpiſſima ſuſpicione perſtrinxit. Iam apertis cla moribus laceſſitus nihil mollius vinculis expectabã: cum cauſæ meæ fiduciam deſtrueret diuerſitoris conſtantia, nec claris omnium vocibus, ſatis audiretur defenſio. Itaq; geſticulanti dextera, etiam hianti ore, ſignificaui eſſe quod loqui vellem. Tandem impetrata pax dicendi locum fecit, &, ſi, inquam, neminem in domum admiſiſti, dic, ſi potes, qui erant illi homines, qui in ſuperiore cœnaculo totum diem bibendo conſumpſerunt? Quos cum ebrios ac petu-

lan-

lantius rixantes velles cõpescere, ictum in supercilio accepisti, proiecta lance & per solutam cutem vsque ad soliditatem ossium mersa. Dic etiam, num affines tui, num familiares erãt, quos ex vltima Iberia venientes longo sermone excusasti, quod nobis ad epulas socios adduceres. Neq; in re incerta versor. Meam causam eorum sarcinæ agent, ipsiq; præterea hospites si expectatis, dum à negotiis ad prandium redeunt.

Cum tam indubitatis indiciis agerem, cogeremque aduersarium quærere quid diceret, mutatum vulgi studium, & innocentiæ meæ fauor pene cauponem euertit: cum is omnium clamor esset, hominem nequam & arte sua dignum, non sceleris modo gnarum, quod in me quisquis erat ille planus cogitasset, sed etiam prædæ participẽ, per indignam aduenæ calamitatẽ augeri. Receptatorẽ latronũ, & ipsis peiorẽ aggressoribus ad publicũ exemplum castigari debere. Nihil mihi vnquam illo iucundius exitit: quoniam nõ deerant, qui vinciẽdum cauponem,

ac ſeruandum dicerent. Sed nihil fiel
tardius, quam quod omnes imperaba:
Nullus iniiciebat manum, aut pro i
perio in cuſtodiam ſequi iubebat. Na
lictores, vt qui lucrum captarét, nec h
minem tenebant, quoniã poſtea dim
ti non poterat; nec abituri erant, niſi ſc
leris pretium ſupra debitam iuſti offi
mercedem duplicaretur. At diuerſito
ſeducto ex lectoribus principe, quadr
ginta denarios in ſingulos dictorũ, qu
adeſſent, erogaturũ promiſit tanta ſubt
litate, vt id nemo aduerterit, niſi per ſi
milem malitiam doctus.

Incipiebat mihi eſſe ſuſpecta lenti ſup
plicii mora, cũ lictor, cuius venalis fide
conductam operam præſtabat, vanũ eſſ
de quo diſputamus ait: id ſolum quæri
num adeſſet, qui me adulteratis gemmi
deluſerat. Scrutanda penitus omnia, ne
abditiſſimis domus latebris eſſe parcen-
dum. Tum irrupit in ædes, & ſtabulario
nequiſſimo (id quod moliebatur) effu-
giendi locum fecit. Interim ad negotia
populus defluxerat, & vt in tumultibus

ſolet,

ſolet, omnium impetus in turpiſſimum languorem deſinebt:cum ſolus, & inuiſus ad ſceleratũ limen aſtarem, & lictores omnia permiſcerẽt in ædib. affecta ta diligentia, quæ quo erat falſior, eo ſtruebatur ſolertius. Cumque inanem diu laborem finxiſſent, tandẽ nunciant abeſſe hominẽ, &, ſi quid in cauponem haberem, magiſtratus iuſſu ad iudicium euocandum:ſe non poſſe indemnatum, & cuius flagitium erat ita obſcurum, vt poſſet negari in cuſtodiã trahere. Id reſtare, vt largius laboris mercedem numerarem: quoniam bona fide me ſecuti tres pene horas conſumpſerant. At ego tanta improborum contumacia excitatus, negaui aliquid proditoribus daturum, præter preces, vt euenirẽt quęcunque publicum in illos odium quotidie concipiebat.

Nec iam languide iratus ad Prætoris vrbani tribunal deuoluo, ſcelus cauponis & lictorũ perfidiam veris indiciis delaturus. Erat autem in Arcula (ita Prætorium appellant) tam frequens concio,

vt instar vnius molis aut corporis coir
arcta & congesta frequentia. Simul m
ueri, vna cessare, & quod est rarissimu
vno veluti ore nunc silere, nunc in risu
effusissime concitati.

[Tum circa turbas animum versare forenses,
Litibus atque dies miseris impendere totos,
Oppositisque graues dictis miscere tumultu
Ac legum implicitum laqueis mala plurim
ferre.
Heic labor, heic infesta acies, heic sæpe malo
rum
Causa bonam superat. Qui vero legibus ess
Præsidio debent, horum venalis vtrisque
Et pretio est addicta fides, ita sit modo diues,
Improbus est meliore loco, victorq; recedit.
Quisnam inter tales homines, nisi Numini
adsit
Gratia, tot fraudes, quis tot mendacia vitet?
Aut etenim volucri fuga suscipiatur oportet.
Omnia linquaturq; malis, aut pectora chara
Multiplici errorum fœdari labe necesse est:
Vt qui se flammæ propius iunxere vapori,
Aut flammæ aut fumi referunt in corpore si-
gna.

Cum

Cum iucundum remiſſumque tribunal admirarer, aduerto iudicem indigniſſimum, qui inter mala verba habitet, ſublimi ſede, vultu graui, ore ad antiquorum maieſtatem compoſito, pene ad ridiculam controuerſiam moueri, vt ſeueritatem iudicantis non ſeruaret. Stabat enim ludicro amicto reus, ore purpureo, viridi cucullo, cui, cum fatuorum principatum aliquot iam annos tenuiſſet, repente æmulus tantæ fortunæ controuerſiam faciebat. Nec deerat patronus magnificæ cauſæ, qui principẽ numeroſiſſimæ gentis de ſtatu dimicantem tueretur. Illum patre, auo, maiorib. fatuis ortum prædicabat; matris familiam nunquam ſapuiſſe; nec pium filium degeneraſſe à gentilitia mẽte. Meminiſſent magiſtratus, in quanta cauſa iudices ſederent. Concuti Rempub. ſi bene animati principẽ fatui ducis iniuriam perſequerentur; qui mehercle, inquit, ſi omnes ad arma properabũt, non inueniet ſapientia defenſores. Quot n. vel ex iſtis, qui me nunc audiunt, taciti, & velut in

partes nō abstracti, si semel Moriæ vexi lum effulserit, ꝓ stoliditate pugnabunt. Non hoc seculo Clazomeniis solis insanire publico decreto concessum est. Nihil tutum, nihil syncerum relinquetur, nec aliud pugnam cędemq; prohibebit nisi si forte in quos sæuiant non habebunt. Magna imperia nec apud prudentes sine formidabili cōcussione mutantur. Verēdum est, ne, si tantæ multitudinis tam placida tranquillaq; moles excitabitur, nō magis de imponendo duce quam de sedando exercitu quærendum sit. Patiamur fatuos conditionem suam ignorare. Sint suo iudicio prudētes, nec cogamus & vitium eos & vires agnoscere. Adiuuabat omnia princeps fatuus, ridentibus lachrymis, nutuq;, si vinceret, singulis apud se dignitates destinans.

Videbam non vacare miseriis meis iudicem, neq; potius p me, quā per disertos patroni questus rē publice deferendam. Itaq; cum hora pene duodecima litem iucundissimam diremisset, admiratus tot causidicos è subselliis surgentes,

quot olim causę non erant, omnium ora vultusque pensabam. Illius toruum supercilium horrebam, illius explicatam lasciuamque barbam oderam: nec erat quem non aut reuerentia aut fastidium prohiberet adiri. Cum iam omnes dilaberentur, seu fato, seu fortuna, postremus excessit vir censorij vultus, ore, incessu, modestia Cato. Quem ego tādem audacior cum submissione vilissima salutassem, si es, inquam, quod te hominū existimatio, quod te probitas, quod ipsa iustitia prędicat, conditionis miserorum columen, afflictæ virtutis patronus, noli contemnere benefaciendi materiam, quam heu! meo tibi damno fortuna suggessit; quem ex florenti statu facilitas astutis prædonibus patens in indignam calamitatem misit. Tum prolixam mali seriem dolentibus verbis, & ipsis pene gemitibus in conspectum dedi. Nec prorsus moueri videbatur. Sed postquam medium eius quod ex lite consequerer promisi, tunc alleuare oculos cœpit, tunc mulcere animū meum, dolorisq; vltio-

nem promittere. Igitur postero die a tribunal adesse iussit, vultu quantum possem funebri, liberali tamen veste, fictaque constantia, vt videret iudicibus & bono loco esse, & solo aduersarij scelere miserabilis, cætera suæ fidei concrederem. Cum sic ab eo discessissem, vt omnia optimo statu esse putarem, liberius totum diem variis cogitationibus impendi; nunc Callionem ac Fibullium in meum supplicium incẽsos, nunc crudelem Percantis adulationem reputans, si qui me casus ad immite seruitium retraxissent: & fronti literas esse, quas crinis vtcunque celabat, velo vt in obuios nec cogitantes fideli, ita in curiosos & scrutantes imbecillo: & me testibus si negarem, posse conuinci, & ipsam domini potentiam mihi copiam defensorum non facturam. Contra obstabat regium Gelonis nomen animusque supra seruum erectus, & nullum de ignota stirpe præiudicium, nisi quod de externis præclarius sentimus.

Cum hæc solicitudo animum in cra-

stinum

ſtiuum protraxiſſet, itemque ad Prætorium occurrit in ipſo aditu vir, qui magnificus videri poterat, ſi quod inter illuſtres veſtis diſcrimen faceret meq; nec cogitantem benigniſſime ſalutauit, incipiebam timere, ne venales etiam gemmas afferret, cum ille habere ſe dixit quę è re mea foret audire: commodarem aliquantulum aurem: neq; ſi me aliqui circumueniſſent, ex alieno ſcelere ſuam fidem metirer. Quanquam omnibus diffidebam, non videbam tamen quæ fraus timeri eiuſmodi colloquio poſſet. Itaq; humaniſſime, & tempus, & ſecretum, ſi res poſtularet, promitto; ſimulq; in oblongam porticum deſcendens, cœpi expectare ſermones hominis longa cogitione ac veluti ſuſpiriis ſibi præfantis. Non alias, inquit, durior natura exſtitit, quam cum leuari mala voluit atrocibus remediis; vt interdũ morbo ſæuiet medicina valetudinis deſideriũ tollet. Multi dolores non leniuntur, niſi membra quæ doleut exſeces, & interdum eſt leuius ægrotare quam ſanari. Idipſum

quo-

quoniam deteriora Naturæ imitamu
humana disciplina decreuit. Eteni
lædi, spoliari, contumelia violari, ma
gnum malum: & seu famæ nostræ, se
fortunis acerrimus morbus: sed reme
dium diluit tam amarum consuetud
nostra, vt non tam inuitare videatur a
sanitatem ægros, quam sanos prohibe
re ne doleant.

[Est enim fugienda haud prouocanda cunct lis mortalibus.

Esuriunt quidam à cibis solum, vt satientu litibus.

Fortis es caresque lingua? si sapis, lite abstine.

Lis contentioque nullo non loco est de terminis.

Litis atque æris alieni, certa miseria est comes.

Litigans cum plebe, se ipsum, non eum malo afficit.

Litigantis præmium est victoria, haud conscientia.

Litigare cum tyranno vitæ si cara est, caue.

Litigare ditiorum est, pauperum est quiescere.

Lex vbi pudorque regnant, vis ibi ac lis exulat.

Partium iura vbi eadem sunt, nil est controuersia.

Quæ lex cogit tacitum caussam tradere aduersario?

Stultitia est, bene cui licet esse, eum prauorti litibus.

Vis canes rixare? tenue os inter ipsos abiice.]

Iudicia dico, & crudelissimos Aduocatorum astus, quos, si litigare persistis, intelliges nihil minus quam prædones sæuire, nisi quod lentius cædunt. Illud diuersitor per quē damnũ te fecisse clamitas, ecce tibi omnibus modis purgaturus crimē est, etiam sponte pecuniam refusurus, quantam nulla tibi iudicum sententia dari imperet. Conscium fuisse sceleſti consilij, quo te fucatis gemmis vir nefarius delusit, negat. Sed cum noller domum suam infamia laborare, te prohibuit cum lictoribus irrumpentem

in ædes. Etiam anxias litium curas, ia
auaras patronorum artes omni pret
redimit, me legatum ad te misit, vt po
qui mutui commodi admonerem. Tu
bono reduces vestigia, dum adhuc
limine hæres, nec dum interius tr
ctum adducto velut ostio incluseru
Patroni iniquissimo labyrintho: vbi
calumnia atque mora, omni Mean
dro pigrius stante, ludificentur. Se
mel mihi controuersia fuit, quam com
poni per Iudices vellem; cum omne
interpellarent stultitiam meam, &, quo
nunc tibi vaticinor, mihi plerumqu
minitarentur. Audies, hospes, rer
admirabilem, & quæ te non alio stu
pore circumfundat, quam vt quæras
num eo vsque pertigerit mortaliun
scelus. Eram passus atrocem ab a
mico iniuriam, qui epulis obrutus, post
quam appellauit contumeliose, etiam
grauiter multauerat, immisso in me
seruitio, dentemque, ne nullum esse
sceleris vestigium, ab ore excusserat
Quid multis? conueni in iudicio

elegi

elegi patronum, qui cum disertissimis certabat, nec corpori parcebam, nec pecuniæ. Sed hoc mihi nocuit; quod incideram in opulentum hostem, qui præuaricationem turpissimam (illum, inquam, qui mihi aduocatus erat) duobus talentis emit; vt non amplius nisi sua voce loqueretur. Languebat Oratoris mei facundia, quoties iubebatur pro me loqui: nec sententiæ sequebantur, nec pene cohærebant verba; vt Iudices eloquentem hominem crederent non naturali vitio, sed causæ infirmitate labascere.

Cum igitur spem meam multis dilationibus frustraretur, tandem exactis aliquot annis restabat, vt quęsitor aliquis pronunciaret. At ille nefarius, suspectos mihi plurimos ex iis qui sedebant in causa iudices proclamat; ac vt in me moueret odium, quanto non laborant nocentissimi rei, petit vt sancti quique Iudices nominatim excedāt: id à me mandatum iniquissima vociferatione firmabat. Aberam vnius diei itinere, cum hoc

per amici literas nunciatum reditu
meum in vrbem tantum non præcip
tauit. Nihil expeditius videbatur, qua
vt hunc probare possem dolo malo in
teruertisse causæ meæ famam. ac cu
deinde sequester, de cuius manu talent
duo ab aduersario meo sumpserat, inter
positis inimicitiis, rem ad me detulisse
in ius vocare hominem, & prævaricatio
nis accusare ausus sum. Exitum meæ mi
seriæ sic comprehendam, vt & intelliga
nefarium scelus, nec mihi molesta sit fu
sa calamitatis narratio. Tot artibus egit
tot fucis circumamictum crimen suum
velauit, vt immineret periculum, ne in
me velut lacessitæ innocentiæ temeritas
vindicaret. Vicisse mihi visus sum, quia
non perij: nec aliquid amplius impetra-
runt amici mei, quam vt integra fama
possem à lite discedere.

Non nego sanctitatem Iudicum hæc
mala mulcere, non patronorum sancti-
tatem (eorum qui à communi facinorũ
orbita deflectunt) publicam aliorum in-
famiam velut abstergere. Sed notũ nau-

fragiis

fragiis mare non salute aliquot nauium amittit crudelitatis nomen; nec proba est Sirenum vicinia, quoniam transeuntem Ithacum non euertit.

Iam vero quibus pœnis digni sunt, qui hos homines propellunt in forum, qui,inquam, nihil minus quam peritos æquitatis humanæ ad Oratorum subsellia trudunt? Sacerdotes & Antistites Themidis dico, quorum è scholis inexperti adolescentuli cum empto testimonio ad clientum ruinam ac pene fatum proruunt; vt, quod olim ferebant, *asynus ad lyram*, id oraculum putem in hæc tempora destinatum. Quid ille qui nuper cum inter patronos referri quæreret, protulit testimonij libellum quem non magis quam Iurisprudentiæ codices lectum, etiam sibi absens procurauerat? Credebat contineri, se ciuilis scientiæ studiis meruisse, quem omnia tribunalia audirent. Erat autem scriptum, illum medicinæ peritum cooptandum in numeros eorum, qui præcocia fata saluberrima ratione morarentur. Hinc

erisus ab iis plurimum editi, qui tantu
eruditius peccauerant. Videbantur hau
spernenda monuisse, volebamque vlt
rius audire suadentem, cũ Percas ad n
vestigandum missus, nescius qua fortu
in eandem porticum se coniecit, mequ
nec opinantem sæuissima oratione pe
strinxit, &, teneo te, inquit, Euphormi
teneo fugitiuũ, teneo ea cruce dignu
quæ etiam vltra mortem desæuiat. Cu
assueuissem esse miser, & pallidi vultu
nullo metu vltra possent albescete, in
tentaui in irruentem manus, & cõstan
lumine tantum nõ transfixi minantem
ac deinde cum asperrimis vocibus dete
naremus, & ille veluti pro prę da, ego pr
salute dimica ẽ, iam aduolauerat ad no
populus, quantus pridie ad cauponem
non iuerat, & tanquam in arena luctan
tes etiam pene hortabantur ad pugnam
Sed cum ille me seruum vocaret, eg
impostorem dicerem; cum ille Callio
nem, ego libertatem, inclamaremus, ali
us minis, alius fletu ageret, vterq; velut
per compendium confluentes ad spe
ctra-

ctac im homines suæ causæ admonet. Ille Callionis seruum, Callionis fugitiuum dicebat; Ego contra liberis parentibus ortum, vnaque cœna improbe emptum referebã. Visa res multitudini digna, quam nõ aliis mandaret. Statim obtinet miseriæ fauor, statim vindicias secundum libertatem dandas censet; Percantem importunius obstantem expellit. Ego vero per Curiæ veluti posticum egressus mox Alexãdria me proripiens, & in tutiorem vrbem discessi; & quoniam res ad populum traducta est, vos qui hæc auditis, qui legitis, quanquam estis omnes improbi iudices, non recuso.

FINIS.